BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
F
52
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

ELEMENTA
COSMOLOGICO=METAPHYSICA
MATHEMATICO ORDINE DISPOSITA,

ET IN DUAS PARTES DISTRIBUTA

AUCTORE

P. F. JOSEPHO-MARIA DE S. MARCO

IN-LAMIS

Lectore Theol. Ord. Min. Regul. Observantiæ S. P. Francisci Provinciæ S. Angeli

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS.

PARS PRIMA.

B R NEAPOLIS

NEAPOLI MDCCXCIII.

Typis Josephi Mariæ Porcelli Bibliopolæ Ac Typographi Reg. Acad. Militaris

Superiorum permissu.

VIRO PRÆCLARISSIMO

D. RAPHAELE GIUDILLI

UTRIUSQUE JURIS DOCTORI,

NECNON IN REGIA DOHANA APULIÆ

QUÆSTORI FIDELISSIMO

F. Joseph-Maria de S. Marco in-Lamis
FELICITATEM.

JAmdudum, PRÆCLARISSIME DOMINE, in more poſitum eſt, ut quoties aliquod opus publici juris efficere conſtituatur; plerunque alicujus præcellentis Viri auſpiciis commendetur. Ejuſque autem rei manifeſte

 red-

redditur ratio. Homo ſiquidem ad ſui ſapientiſſimi Factoris imaginem creatus fuit, a quo & ipſe homo, & alia facta fuere. Omnes porro ejuſdem hominis ſapientiæ fructus aut Creatorem ipſum, aut illius reſpiciunt opera. Jamvero Deus perfectiſſimus eſt, adeoque ineffabilis: opera autem ipſius magna, & mirabilia: hominum ingenia multis, diverſiſque rationibus, differentia. Quibus, uti attendenti patet, unanimis omnium conſenſus in ſingulis impeditur diſciplinis (1). Hinc quodcunque ſcientificum opus, non omnibus æqualiter, poterit eſſe acceptum. Alius enim alium ordinem, alius aliam phraſim, alius alias, in eo, exoptat notiones. Indeque facile accidit, ut qui, ceteroquin ſapienter, loquatur, morologus, injuria, judicetur. Quo ergo incommodiſticæ diſplicentiæ modus præſcriberetur, Virorum Illuſtrium præſidium inventum fuit. Quapropter, majorum, ego, ductus exemplo, ad tuum, PRÆCLARISSIME DOMINE, ſpe quidem non fallaci, amicis typis meum hoc opus tradens, confugi patrocinium. In eo ſiquidem opere, de Mundi Origine, Ordine, & Conſervatione in-

(1) Vide noſtræ Log. elem. adnot. 1. ad cap. 3. lib. 4.

inſtituitur ſermo. Ideoque agitur in eo de ejuſdem mundi cauſa creatrice, moderante, et conſervatrice, Deo. Duram; ut vides; cepimus provinciam, præſertim contra impios, ac procerritos homines, qui nunc nulla moti Religione, nunc ſpernentes juſſa verenda Dei, ſuis ſæpe, nobis, ſe produnt obviam, dictis pudendis. At, porrigente dexteram Deo, ipſorum, quum obvenerit, occurremus conſiliis. Interim præſidio tuo; ſecure, in publicum, noſtrum prodibit opus. Tu quippe, ne dum tuis ſplendoribus, quod eidem deficit, lumen, reddes; ſed etiam ab aliorum injuriis vindicabis; munitumque, ut circumferatur, ſufficiens eris. Id autem non timore, ſed ſponte veluti ſua, tuo munere efficiètur. Tuis ſiquidem clariſſimis ornamentis, præcipuo quodam naturæ favore, ſtudioque, officiorum electione, quibus ad utriuſque Facultatis Lauream; & eximium Miniſterium, quo jam fungeris; perveniſti; efficies, haud dubie, ut iis, qui ſuperſunt, ſplendoribus tuis, obſcura quæque poteris illuſtrare. Quum enim Tibi Doctrina, Res, Fama, & Officii Regii dignitas comitentur; ſequetur apertiſſime, quod eximio Nomine Tuo, hoc opere obſignato, & fulgentibus ejuſdem Nominis radiis, quaſi perfuſum; omnibus, a-

more tui , ſinguliſque hominibus , gratum erit . Quidni? Hæc enim omnia, omnibus comperta ſunt, & explorata. Neminem porro, qui Te noverit, irreprehenſibilis tuarum actionum prudentia , liberalitas (omnibus accepta virtus) erga omnes indicibilis , ſtudiumque ardens officii tui fideliter exſequendi , latere poſſunt . Natura pariter ea Te mente donavit , qua in curarum tanto oceano veluti obrutus, aſt in nullo deficiens; ad omnia non. minus intentus videris , ac ſi unicum, & facillimum negotium eſſet munus tuum. Omnibus es benignus, urbanus , comis, obſequioſus.. Aſt quid? Fallor ne? Aut ſimulatioribus effero Te aſſentationibus? Minime quidem . Nam eæ ſunt , quibus ornaris, qualitates tuæ , ut omnibus nitoribus ſuis, optime (uti diximus) pateſiant. Non ita ne tandem? ſcilicet . Adeo ſiquidem, ut Munificentiſſimus Rex noſter FERDINANDUS IV. (quem Deus ſoſpitet) minime dubitarit , quin digniſſimum Quæſturæ officium (2) , quod maximæ eſt fidelitatis (3) præ

(2) Conſtat ex Regiis litteris (vulgo *Diſpaccio*) ſub dat. an. 1785.

(3) Ærarium ſiquidem publicum tanquam rem ſacram, & religioſam habebant Romani . Eorum namque ærarium in æde

præ ceteris ; crederet Tibi : eodemque Te decore, atque præſtantia (quoad honorem) ornatum vellet, quibus ejuſdem Dohanæ Miniſtri ſunt affecti (4) : cur ergo Tu non omnibus charus eris, qui amantiſſimo noſtrum REGI, tam es gratus, quam qui gratiſſimus? Jure ergo meritiſſimo optivum, Te quæſivi, mei operis Mecœnatem. Quare id unum ſupereſt, ut, benignis oculis, hanc qualemcumque obſequii mei, erga Te, ſignificationem, acceptes; nec utique me hoc eſſe impetraturum, diffido, ſuaviſſima fretus memoria inſitæ bonitatis tuæ. Ea igitur certiſſima fidentia ductum, in aſpectum, lucemque, hoc meum profertur opus. Vale.

Dedimus Fogiæ, ex noſtro Regali Conventu Jeſu-Mariæ III. Idus Januarii Anni 1793.

æde Saturni (teſte Ambroſio Cal. *v. Ærarium*) fuiſſe conſtat ; nullumque, illo aureo ſeculo, furtum factum eſſe, creditur. Hinc Tullius (*in Verrem*) ad rem, ait : *Primum mihi litteras publicas, quas in ÆRARIO SANCTIORE conditas habebant, proferunt.*

(4) Patet ex aliis Regiis litteris anni 1786.

ADPROBATIO THEOLOGOR. ORDINIS;

ADMODUM REVER. PATER

Juſſis Paternitatis tuæ Adm. Rev. perlegimus opus, cui titulus: ELEMENTA COSMOLOGICO—METAPHYSICA &c. à P. Joſepho-Maria de S. Marco in Lamis noſtri Ordinis, & Provinciæ Lectore Theologo compoſitum, atque in duas Partes diſtributum; & nihil in eo invenimus aut fidei dogmatis, aut morum regulis, aut noſtri Regni legibus, aut ſanæ Philoſophiæ principiis oppoſitum; immo plura in eo habentur, iis omnibus illuſtrandis, maxime accommoda. Quapropter, ipſum typis mandari poſſe haud dubie adfirmamus. — Datum ex hoc noſtro Regali Conventu Jeſu-Mariæ Civitatis Fogiæ V. Idus Januarii anno 1793.

Fr. Franc. Mariæ de Montegargano Lector Jubilatus.

ADMODUM REVER. PATER

Librum ELEMENTA COSMOLOGICO — METAPHYSICA &c. nuncupatum, atque à Reverendo Patre Joſepho Maria de Sancto Marco in Lamis noſtri Ordinis; & Provinciæ Lectore Theologo elucubratum, & in duas Partes diviſum, atque diſpoſitum tenuitati meæ legendum, cenſendumque auctoritas tua concredidit benigniſſime. Ego autem, admodum Reverende Pater, ut juſſis tuis obtemperem, quæ tanti facio, pareo, atque reor, volumen iſtud, utpote utilius, jucundius, atque juventutis captui accommodatius, typis recudi poſſe, in quo nil penitus peccatum eſt: neque, inquam, in Jura, neque in Mores, neque in Cæſarem. — Datum ex hoc noſtro Conventu S. Mariæ Gratiarum Civitatis Manfredoniæ die XIX. Kalendas Februarii anni 1793.

Fr. Iſidorus de Manfredonia Lector Jubilatus.

Attenta relatione Theologorum noſtri Ordinis, ut ſupra, imprimatur. — Datum ex hoc noſtro Regali Conventu Jeſu-Mariæ Civitatis Fogiæ die 19. Januarii 1793.

Fr. Michaelangelus de Vico Lector Jubilatus, & Miniſter Provincialis Obſervantis Provinciæ S. Angeli.

adest Sigil. — *De mandato P. S. Ad. Rev.* F. Franciſcus Maria de Fogia *Prov. Secr.*

JUNIORIBUS PHILOSOPHIS

PRÆFATIUNCULA.

I. Longa hic; aliquem, præfatione, distinere; bonum esse, humanissimi Juvenes, haud quaquam existimavimus. Quum enim tempus nonnisi breve, et artes omnes perlongæ sint; fit inde, ut tempus omne peroptime non tritum, inutile prorsus æstimetur, et cassum. Quapropter aliqua tantum breviter præponere in animo habuimus, quæ vel necessaria sunt; vel maxima utilia.

II. Principio itaque Cosmologia, quoad sui nominis etymologiam spectata, quum ex duobus græcis vocabulis Κοσμος Cosmos mundus, *et* Λογος Logos sermo, *ducat originem; patet, quod* Κοσμολογια Cosmologia *aliud non significetur, quam* sermo, *seu* discursus de mundo.

III. Quoniam vero mundus et physice, *et* metaphysice (1) *conspici potest; sequitur, quod Cosmologia alia sit* physica, *alia* metaphysica. *Cosmologia physica illa dicitur; quæ agit de natura, et constitutione, et partibus universum componentibus, generaliter, et particulariter. Ipsa ergo complectitur*

I.

---

(1) Ita hic. Ast vide Scholium 2. Definit. 1. cap. 4. 1. partis huj. operis.

I. Tractatus de diversis mundi systematibus (2). *II. Eliologiam. III. Selenologiam. IV. Geologiam. V. Planetologiam. VI. Cometologiam. VII. Et Astrologiam. In Eliologia agitur de Sole: In Selenologia de Luna: In Geologia de Terra: In Planetologia de Planetis: In Cometologia de Cometis: In Astrologia tandem de Stellis fixis.*

IV. Cosmologia metaphysica porro est illa, in qua agitur de mundi origine, deque ejus ordine, et conservatione. De hac sola, non vero de Cosmologia physica, sermo a nobis, hoc in opere, instituetur; quodque opus in duas partes dividemus. In prima agemus de iis, quæ ad mundi originem pertinent: In secunda autem de iis, quæ respiciunt ejusdem mundi ordinem, et conservationem.

V. At quæ in prima parte hujusce operis, usque, superque quam satis est, pertractamus, ad hæc summa capita facile rediguntur. Ostendimus nempe I. exsistentiam nostram. Ex cujus evidentissima certitu-

(2) Tria nunc mundi ſyſtemata communiter, apud Phyſicos, numerantur. Primum eſt *Ptolemaicum*: ſic dictum a Ptolomæo Ægyptio, a quo excogitatum fertur, circa medietatem ſeculi ſecundi poſt Chriſtum. Secundum ſyſtema eſt illud *Tyconis* Danenſis, ab eoque *Tyconicum* dictum. Syſtema hoc, ab ejus auctore, edoctum fuiſſe, creditur, circa medietatem ſeculi XVI. Tertium tandem ſyſtema eſt *Copernicanum*; ſic adpellatum a Nicolao Copernico Polonienſi, qui illud (jampridem a Pythagora, aliiſque antiquis Philoſophis inventum atque tractatum) nimium illuſtravit, circa finem ſeculi XV. Sed de his fuſe apud Phyſicos, etiam recentiores. Vide etiam doctiſs. Calmet *Dissertat. de systemate mundi*, *art.* 2. 3. 4. & 5.

tudine deducimus II., et pari quidem evidentia, exſtare Ens aliquod æternum, in quo ſit ratio ſufficiens omnium contingentium. Ex ejus porro Entis æterni præcipuis attributis, demonſtratis, inferimus III. neque materiam primam Ariſtotelis, neque atomos Epicuri, neque mundum adſpectabilem eſſe Ens æternum; ſed Ens æternum exſiſtens idem eſſe, ac Deum. Hinc ergo congerimus IV. mundum productum fuiſſe a Deo, per creationem; adeoque libere; et collocatum fuiſſe in aliquo loco (ubi fuſe agimus de Spatio). Exinde ultro colligimus, mundum nec potuiſſe ab æterno produci, nec revera productum fuiſſe; adeoque habuiſſe initium. Multa V. ad Dei omnipotentiam, et mundi perfectionem ſpectantia, enucleamus. Tandem Scholio generali, primam hanc operis partem, concludimus, quod, ut, a junioribus approbe recipiatur, dignum exiſtimamus.

VI. Quæ vero in altera parte a nobis diſcutiuntur, quemadmodum ſequitur, ita brevi comprehendimus. Retegimus quippe I. mundum hunc adſpectabilem ordinatum eſſe: legeſque coſmologicas præcipuas, quibus talis ordo progreditur, adſignamus, ultimamque rationem ſufficientem earum, in Deo reponimus. II. Creaturas omnes eſſe vere, et proprie ſuorum effectuum cauſas efficientes; ideoque vim, quam habent, agendi, ipſis inſitam eſſe. Hanc autem vim, III., eas, a Deo, ut precariam, habere; ipſiuſque Dei ſimultaneo concurſu indigere, quoad vim, et quoad operationes ſuas; proindeque Deum eſſe conſervatorem rerum, et ordinis univerſi, facile demonſtramus. Ex quibus IV. libentiſſime colligimus; Deum rebus omnibus, ratione habita, providere; etiam minimis; ideo-

que

que per ſuam hanc providentiam minime auferri hominibus libertatem. Tandem et hanc partem noſtri operis, ſcholio perſolvimus generali, ubi, de mundi fine, aliquid ediſſerimus.

VII. Tres vero fuere præcipuæ rationes, quæ me haud impedivere, quominus elementa iſta, in commodum proderem ſtudioſæ juventutis. Prima, ut, dum juniores Philoſophi Metaphyſicis diſciplinis operam darent, noſtra hæc elementa, præ manibus habentes, ad methodum, ipſi, ſeſe exercerent; mathematicam, et ſcholaſticam. Ideoque, quo faciliùs hoc iidem adſequerentur, definitiones, ſcholia, et alia, quæ ſingulis partibus anteponendâ erant; nos, per ſingula capita, diſtribuenda fore, non dubitavimus: atque argumenta, eorumque reſponſiones, non methodo ſcholaſtica utcumque; *ſed ea, quæ* vere proprieque eſt talis, *diſpoſuimus, adeout nulla pene queat propoſitio, in ipſis, inveniri, quin immediate, ratione addita, comprobetur.*

VIII. Altera ratio fuit, ut, quum iidem juvenes vacarent ſtudiis Coſmologiæ phyſicæ, non tantum ſenſibus ſeu nudis, ſive inſtrumentis ornatis, uterentur; ſed altiſſimis etiam rationibus, excerptis ex noſtris generalibus iſtis Elementis; inſtructi, errores præcaverent, veritatem aſſequerentur, optimiſque argumentationibus ſtabilirent.

IX. Tertia tandem ratio fuit; ut; dum ipſimet Tyrones tum in juris naturæ, tum in juris gentium, inque aliorum poſitivarum legum, ſtudium incumberent; quemadmodum iſtorum principiorum omnium practicorum, in coſmologicis principiis; fundamen, ſeu ra-

radicem fixam habeant, sapienter perspicerent: atque ex iis firmissimis, necnon hypothetice (3) *immutabilibus radicibus, eorumdem principiorum practicorum fulcrum, vim, et firmitudinem propalam constituerent, ac demonstrarent.*

X. Ex his omnibus constat, quantum utilitatis, ab istorum elementorum nostrorum studio, capere possint sapientiæ amatores. Primo namque in apprehendenda utraque methodo, mathematica nempe, et scholastica instituuntur; quibus eorum ingenia maxime acuuntur, augentur, ampliantur; atque, ad omnem materiam pertractandam, expeditiora redduntur. Deinde, quum, in iisdem Elementis, agatur de primo Ente, de mundo, deque aliis entibus creatis tum corporeis, tum intelligentibus, facile inde sequitur, eadem elementa, cum omnibus disciplinis, quandam connexionem habere. Et quoniam de iis, de quibus agitur in ipsis elementis, principia generalia multa consignantur: jam æque subsequitur, magnum, ea, lu-

(3) Leges adſpectabiles hujuſce univerſi *radices hypothetice immutabiles* vocamus: *hypothetice* quidem, non *absolute* (ſaltem earum major pars) immutabiles ſunt. Nempe, poſito eo, qui jam poſitus eſt, ordine, quo mundus ita regatur, ut regitur, ejus præſentes leges immutari non patiuntur. At ſi mundum diverſis, ab iſtis, quas nunc complectitur, partibus, atque ordine, conſtare, vellet Deus; jam multæ, præſentis univerſi, leges, mutari deberent. Non loquimur hic de admirabili illo modo, quo, a Deo O. M., *miracula*, ſupra naturam, id eſt præter ordinem totius naturæ, fiunt; ſed de legibus tantum, quibus *ordinarius*, & *naturalis mundi cursus* dirigitur, aut (alio modo conformatus) dirigi poſſet.

lumen, singulis disciplinis, adferre posse; sintque veluti singularum disciplinarum altissimum fulcimentum.

XI. Omnium ergo, hortamur, disciplinarum amatores, ut principiorum cosmologicorum hujusce operis, imbuantur cognitionibus, atque ex ipsis eas, quas prædiximus, excipiant utilitates. Interim vero, de nostri operis, nos, apud eos, grata acceptatione, securi; vale, immo longum, ipsis omnibus, vale, damus.

MO-

MONITUM.

Ubi Auctorem pravæ doctrinæ, aliquo modo, in hoc opere, nos laudamus; nonniſi ejus ſanam doctrinam, & ingenium, ut talia in ſe ipſis, intelligimus commendare, ſemper vero (cum Eccleſia) ejus reprobantes errores: & quum aliquem proſcriptum Auctorem, ut, a junioribus, legatur, vel conferatur, citamus; ei ſolummodo id ſuademus, cui talem Auctorem legere, legitime liceat. Adnotationes porro, quæ hoc (*) ſigno indicantur, nos ipſi, eas, adjunximus, ſed poſtquam opus fuerat ab amanuenſe tranſcriptum: eoque modo obſignavimus, ne aliarum adnotationum ordinem perverteremus. Similiter, quum aliorum Catholicorum opiniones, noſtris contrarias, confutamus, aut improbamus; quibusvis exprimentibus verbis, id, a nobis, efficiatur; numquam tamen alicujus, *theologicæ* præſertim, *cenſuræ*, eos accuſare, vel inſimulare, intelligimus, qui tale opiniones defendunt, ſed nec opiniones ipſas, niſi quum ab Eccleſia realiter ſint proſcriptæ, & eo modo, quo ab ipſa proſcriptæ fuerint, intelligimus improbare: ſartum enim, & tectum, omne fraternæ caritatis jus, volumus conſervatum; & S. Romanæ Eccleſiæ *judicium*, præ omnibus, veneramur, & *juſſa*. Vide Lucium Ferraris *Prompta Biblioth. art. Gratia Append. I. edit. Romana*.

INTUERE IN OMNIA OPERA ALTISSIMI;
Eccli. 33. 15.

Invisibilia enim ipsius, a creatura MUNDI, *per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas.*
Rom. 1. 20.

ELE-

ELEMENTORUM
COSMOLOGICO = METAPHYSICORUM

PARS PRIMA,

IN QUA PRINCIPIA, AD MUNDI ORIGINEM SPECTANTIA, CONTINENTUR.

AD hujusce adspectabilis mundi *originem* inveniendam, aliisque adcurate demonstrandam, a clarioribus, notioribusque principiis incipere, necessum esse, putavi: Quum autem, inter nobis notiora, primum teneat locum *exsistentia nostra*; ideo ab ea ordiri, optime determinavi: Ut quoniam veritates omnes *consequentiæ*, ab antecedentibus principiis, ex quibus deducuntur, vim habent, et claritatem; fit inde, ut omnia, quæ ex certitudine nostræ exsistentiæ (*) sequuta fuerint, maximam claritatem, evidentiamque habeant. Quæ res, quum ita se habeat, sit

CA-

(*) Cognitio ſui ipſius cuique neceſſaria eſt, & ab omnibus commendata. Triplex diſtingui poteſt, *ſpeculativa*, *practica*, & *theoretico-pratica*. Primâ inſtruimur tantum:

CAPUT I.

In quo demonstratur I. Exsistere nos: II. Exstare Ens aliquod æternum et a se, in quo est ratio sufficiens omnium contingentium: III. Seriem entium contingentium sive finitam, sive infinitam, omnino repugnare, sine Ente æterno, in quo sit eorum ratio.

Definitiones.

Def. I. Exsistentia est id, quo res actu est in rerum natura: sic homo, per exsistentiam, actu in rebus exstare dicitur.

Def. II. Possibile illud dicitur, quod, nec exsistit, nec certum est, utrum exstiturum sit, sed tantum non repugnat posse exsistere: sic Petrus v. g. qui recte, nunc valet, cras mori posse, possibile dicitur.

Scholium. Possibile *intrinsece* dicetur, si rei possibilis attributa spectentur, quatenus possunt inter se uniri; sic quia tria latera, et tres anguli uniri inter se possunt, triangulum *intrinsece* possibi-

tum: ſecunda perficimur: tertia inſtruimur ſimul, & perfimur. Prima eſt propria Philoſophorum: ſecunda ſimplicium virtuoſorum: tertia propria Sanctorum, & Eruditorum virtuoſorum. Legatur D. Auguſtinus *lib. de Spiritu & anima cap. 50. & seq.*

ſibile dicetur. Dicitur autem *extrinſece* poſſibile ens, reſpectu potentiæ, quæ illud producere poteſt: ſic triangulum, reſpectu noſtri, *extrinſece* poſſibile dicitur, et eſt; quia nobis facile fieri poteſt; non autem alter mundus huic ſimilis.

Corollarium I. Hinc conſtat, omnia *intrinſece* poſſibilia, etiam poſſibilia extrinſece eſſe reſpectu Dei, qui eſt præditus infinita potentia, non item reſpectu noſtri.

Corollarium II. Ergo dantur entia *intrinſece* quidem poſſibilia, *extrinſece* autem impoſſibilia omnino reſpectu alicujus potentiæ.

Def. III. Ens æternum dicimus illud, quod et initium non habuit, et a nullo alio factum eſt.

Coroll. Ergo ens æternum rationem propriæ exſiſtentiæ non habet, niſi in ſeipſo.

Def. IV. Neceſſarium ad exſiſtentiam illud adpellamus; ſine quo aliquid exſiſtere nequit: Sic A dicetur neceſſarium ad exſiſtentiam B, ſi B nequeat exſiſtere ſine A.

Def. V. Neceſſarium autem eſſentiæ dicimus illud, cujus eſſentia immutabilis eſt.

Def. VI. Nihil illud eſt, cujus nullæ ſunt proprietates, nullaque attributa.

Schol. Dividitur nihil in *negativum*, et *privativum*. Primum eſt abſentia realitatis in quocumque ſubjecto: ſecundum abſentia realitatis in illo, quod capax eſſet realitatis. Item nihil ſumitur *rigoroſe*, et *large*. Primo modo eſt, quod contradictionem involvit: ſecundo modo autem eſt omne, quod non exſiſtit, ſive poſſibile ſit, ſive impoſſibile.

Def. VII. Compositum dicimus, quod in partes dividi potest: *Simplex* vero, quod nullimode dividi valet in partes: sic corpus omne compositum dicitur; contra vero Mens, Angelus, Deus.

Def. VIII. Ens necessarium appellatur illud, quod ita necessario exsistit, ut nequeat non exsistere: hujusmodi est solum Ens æternum (*Def.* 3.)

Def. IX. Contingens autem dicitur illud, quod exsistere, vel non exsistere potest, absque ulla repugnantia: vel est illud, quod non exsistit necessario. Ejusmodi est mundus, homo, lapis.

Def. X. Ratio sufficiens id dicimus, unde intelligitur, cur aliquid sit, aut non sit, et potius sit hoc, quam alio modo.

Philosophorum Sententiæ.

§. I. Eousque quorundam hominum insania pervenit, ut, nos existere, certum esse non posse, adserere non dubitaverint. Unde ajebat Arcesilas: Omnia dubia sunt, nihil est certum, nec nos exsistere. Hujusce sententiæ fuit pariter Lacydes Cyrenæus Arcesilæ discipulus, et Evandri magister, qui pariter ejusdem fuerunt farinæ, cum aliis Acatalepticis. Contra ipsos, tantum demonstrabimus nostram exsistentiam, ex quo videbitur, non esse omnia incomprehensibilia, ut isti somniarunt.

§. II. Entia omnia ex puro nihilo, absque alia externa potentia, producta fuisse, nullum unquam Philosophum legimus adseruisse. Quapropter, qui negarunt, Ens aliquod æternum exstare, in quo con-

contingentium ratio contineatur, non dixerunt, contingentia nullam habuisse originem (aliter enim aliquod æternum admisissent); sed tantum non habuisse ab aliquo Ente æterno; sed admittentes seriem infinitam entium contingentium; usque ab æterno, inquiunt, unum contingentium produxisse alterum, et alterum, alterum, atque ita porro, nullumque istorum habuisse originem ab aliquo ente æterno, cujus exsistentiam negabant omnino. Verum quantum erraverint isti, demonstrabunt sequentia.

Axiomata.

Axioma I. *Non potest idem simul esse, et non esse.*

D. Nam si posset aliquid eodem tempore esse, et non esse, jam eodem ipsissimo tempore esset aliquid simul, et nihil: Sic mundus hic exsistens, eodem, quo exsistit tempore, posset etiam non exsistere; quod quam absurdum sit, nemo non videt: non potest ergo idem etc.

Axioma II. *Quod non exsistit, neque operatur.*

D. Nam, si quod non exsistit operaretur, jam eodem tempore esset aliquid simul, et nihil; aliquid quidem, quia operaretur, esset vero nihil, quia (in hypothesi) non exsisteret. Jam vero non potest idem simul esse et non esse (ax. 1.). Ergo . . . (1).

 Hinc

(1) Ex hoc axiomate patet illud aliud, *Nihil fit, nec fieri*

Hinc Axi. III. *Quod operatur, exsistit.* Patet ex antec.

PROPOSITIONES.

Prop. I. *Exsistimus nos.*

D. Nam, quod operatur exsistit (axi. 3.). Atqui nos operamur; siquidem nos percipimus, judicamus, ratiocinamur, reflectimus, cogitamus: quæ omnia operationes sunt. Ergo. . . (2) q. e. d.

Prop. II. *Ens a se, seu Ens æternum debet esse immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam.*

D. Quippe Ens æternum non habet, nisi in se, rationem exsistentiæ suæ (Coroll. Def. 3.). Ergo sicuti ab æterno, et necessario exsistit; ita æterna, et necessaria sit ratio suæ exsistentiæ, necesse est. Et quoniam exsistentia non est aliud, nisi

---

fieri potest, sine ratione sufficienti. Si enim fieret aliquid, aut fieri poſſet, ſine ratione ſufficienti; fieret ex nihilo, id eſt, ex non exſiſtenti; quod pugnat (ax. 2.).

(2) Peroptime ad rem D. Aug. (*lib. 10. de Trinit. num.* 14.) „ Vivere ſe, inquit, & meminiſſe, & intellige-„ re, & velle, & cogitare, & ſcire, & judicare quis dubi-„ tet? Quandoquidem etiamſi dubitet, vivit, ſi dubitat, un-„ de dubitet, meminit; ſi dubitat, dubitare ſe intelligit; ſi „ dubitat, certus eſſe vult; ſi dubitat, cogitat; ſi dubitat, „ ſcit ſe neſcire; ſi dubitat, judicat non ſe temere conſenti-„ re oportere „. Ceterum de Scepticis, & Academicis legatur Lactantius de *falsa sapientia cap. 3. & seq.* At contra Scepticos, & Academicos, vide Antonium Celeſtri, Tertiarium noſtrum Panormitanum *Christiana Catholica Religione prop. II.*

nisi ipsa essentia exsistens; ideo ratio exsistentiæ, et essentiæ in Ente æterno est eadem. Jam vero ratio exsistentiæ est æterna, et necessaria. Ergo æterna, et necessaria est ratio essentiæ. Ergo sicuti ab æterno, et necessario exsistit, et non potest non exsistere, ita ab æterno et necessario est id, quod est, nempe immutabile. Igitur ...

Schol. Hic tria explicatione indigent. I. Cur Ens æternum debeat in se habere rationem exsistentiæ suæ: II. Cur hæc ratio debeat esse æterna: III. Cur debeat esse necessaria. Dicimus itaque ad I. quod si Ens æternum non haberet in seipso rationem exsistentiæ suæ, jam haberet in alio, ab eoque, per consequens, dependeret quoad exsistentiam; adeoque nec amplius Ens æternum esset, quia esset dependens. Omne enim dependens, contingens est. Omne autem contingens, est factum. Omne ens factum, æternum esse non potest. Nam causa semper debet præcedere suum effectum. Atqui in hypothesi Ens æternum fuisset effectus. Ergo causa ipsius exstare debuisset, ante ipsum. Ergo ipsum non fuisset, nec esset amplius Ens æternum; quod est contra hypothesim. Ergo patet cur etc.

Ad II. dicimus, quod si æterna non esset ratio sufficiens exsistentiæ Entis æterni, jam esset temporalis. Ergo Ens æternum non exstitisset ab æterno; aliter enim, ab æterno si exstitisset, habuisset rationem exsistentiæ suæ ex nihilo, et in nihilo, quod fieri nequit (Def. 6.). Sin autem dicatur, hanc rationem habuisse in alio; jam,

quia dependens, et factum, non exstitisset ab æterno; quod est contra hypothesim.

Ad III. dicimus, quod si Ens æternum rationem suæ exsistentiæ necessariam non haberet, esset 1. indifferens ad exsistendum, et non exsistendum: 2. exsisteret contingenter, et posset non exsistere. Jamvero ens illud, quod est indifferens ad exsistendum, vel non exsistendum, debet ab alio determinari ad exsistendum, vel ad non exsistendum: et quod contingenter exsistit, debet dependere ab alio conservante ipsum in exsistentia. Ergo si Ens æternum non haberet rationem necessariam exsistentiæ suæ, jam et ab alio determinatum fuisset ad exsistendum, et ab alio conservaretur in sua exsistentia. Ergo et originem habuisset ab alio, et ab alio conservaretur. Ergo non esset æternum, quia esset effectus alterius caussæ, et non esset ens a se, quia esset factum ab alio. Utrumque autem istorum est contra hypothesim. Ergo....

Prop. III. *Nos non sumus a nobis ipsis, seu ab æterno.*

D. I. Nam quæ nostram naturam spectant, nullo alio securiori medio videre possumus, quam intimo sensu, intimaque conscientia. Atqui intimus sensus nobis demonstrat, nos non fuisse a nobis ipsis, seu ab æterno. Ergo....

D. II. Ens a se debet esse immutabile (prop. 2.). Ergo si essemus a nobis ipsis, essemus immutabiles. Atqui non sumus immutabiles. Nam conscii sumus, nos ab exiguo corporis puncto, et parvo cogitandi principio, pervenisse ad hanc cor-

corporis magnitudinem, cogitandique vastitatem; quibus nunc fruimur. Ergo....

Prop. IV. *Nos non sumus a nihilo, vi ipsiusmet nihili producti.*

D. Nihili nullæ sunt proprietates, et attributa (Def. 6.). Ergo nec *exsistentia* ei competit. Si igitur non exsistit, non potuit nos vi sua producere. Nam quod non exsistit, neque operatur (ax. 2.). Atqui nihil non exsistit. Ergo neque operatur. Ergo nos vi sua producere non potuit: adeoque...:

Prop. V. *Exsistit Ens æternum, et a se, in quo est ratio sufficiens omnium contingentium.*

D. Siquidem, exsistimus nos (prop. 1.). Quum igitur exsistamus, vel semper sic exstitimus a nobis ipsis ab æterno, vel sumus a nihilo, vi sua producti, vel sumus a serie finita, aut infinita entium contingentium, sine Ente æterno et a se; vel sumus emanatio, vel opus Entis a se. Atqui non sumus a nobis ipsis ab æterno (prop. 3.); nec sumus a nihilo, vi ipsiusmet nihili producti (prop. 4.); nec sumus a serie, seu finita, sive infinita, contingentium, sine Ente a se (patet ex prop. sequenti). Ergo vel sumus emanatio, vel opus Entis æterni (3). Ast alterutrum, quod accipiatur, istorum, ab adversariis, exstare evincitur Ens æternum. Ergo.... Q. E. D. (4).

Ob-

(3) Sic *ad hominem* cum adverſariis argumentamur. Ceterum, nos per *emanationem* non veniſſe ab Ente æterno, patebit infra (prop. 3. cap. 7.).

(4) Ens autem a ſe debere rationem ſufficientem omnium contingentium continere demonſtrabimus infra *cap. seq.*

Objectiones.

Obj. I. Repugnat, unum, idemque ens esse omnia entia. Atqui, si exsisteret ens aliquod æternum, jam unum idemque ens esset omnia entia, quia ab ipso omnia haberent originem. Ergo.

Resp. Distinguo majorem; repugnat etc. *formaliter* conc., *virtualiter*, nego. Dist. min. esset omnia entia *virtualiter*, et *eminenter*, conc. *formaliter*, nego; ergo.... nego consequentiam. Tunc entia aliqua in alio formaliter continentur, quando ita in ipso sunt collocata, ut nihil amiserint eorum ipsorum perfectionis, et determinationis. Sic formaliter *naturaliter* continentur semina in eorum ipsorum vaginulis; et formaliter *artificialiter* continentur picturæ in tabulis, litteræ in charta etc. tunc autem entia continentur in alio *virtualiter*, quando ab ejus, in quo continentur, virtute et potentia, produci possunt, vel producta sunt. Sic trigonus factus, vel possibilis, virtualiter continetur in mente Geometræ, artes in mentibus artificum etc. His positis, dico 1. quod repugnat, unum, idemque ens esse omnia entia *formaliter*; nam si unum idemque ens esset omnia entia formaliter, jam esset unum simul, et non. Esset quidem unum, ut supponitur; non esset autem unum, quia esset plura, id est, omnia entia. Jamvero nequit idem simul esse, et non esse (ax. 1.). Ergo nequit idem ens esse unum simul, et plura, id est, omnia formaliter. Dico 2. quod unum, idemque ens potest esse plura, vel omnia entia (juxta extensionem suæ potentiæ) vir-

virtualiter. Nam unum idemque ens esse plura, vel omnia entia virtualiter, idem est, ac posse plura, vel omnia producere. Atqui unum idemque ens potest plura, vel omnia producere, juxta suæ potentiæ extensionem. Ergo unum idemque ens potest esse plura, vel omnia entia virtualiter. Ergo non repugnat, unum idemque ens æternum esse omnia entia virtualiter. Hinc Tertullianus contra Praxeam cap. 9. (de Deo loquens) ait: *Ipse sibi ante omnia erat mundus, et locus, et omnia*, idest *virtualiter*. Exsistit igitur ens æternum (*).

Inst. Atqui neque virtualiter unum, idemque ens esse potest plura, vel omnia entia. Ergo ... Prob. min. subs. Si unum idemque ens esset plura, vel omnia entia virtualiter, esset etiam formaliter. Atqui, ex concessis, non potest esse plura, vel omnia entia formaliter; ergo nec virtualiter. Prob. maj. Omne, quod producitur, producitur secundum propriam formam; ergo in eo, in quo virtualiter continetur aliquid, contineri debet etiam formaliter; aliter enim ejus caussa plus daret, quam haberet, quod pugnat. Ergo ...

Resp. Conc. Ant. Neg. Conseq. Negamus itaque,

(*) Ens æternum, primum ens, cauſſam primam, primum movens exſtare, agnovit Ariſtoteles. Hinc idem moriturus, ſic illud invocaſſe fertur: *Nudus in hunc mundum veni, miser vixi, dubius morior, quo venturus sim, nescio: attamen tu ENS ENTIUM, et CAUSSA CAUSSARUM, miserere mei.*

que; omne ens, quod secundum propriam formam producitur, secundum eamdem formam contineri debere in sua propria caussa. Nam, si ita esset, jam Architectus infinita propemodum palatia formaliter delineata in suo cerebro, vel in mente habere deberet; adeoque vel animam materialem, vel cerebrum infinitæ propemodum magnitudinis. Quæ palmaria absurda sunt. Sufficit ergo, ut ens, quod formaliter producitur, virtualiter contineatur in sua caussa. Sic quia virtualiter geometricæ figuræ continentur in mente Geometræ, eas faciliter secundum proprias formas producit. Præterea, nemo dare potest plus, quam habet; verum. Ergo qui habet virtutem tantum producendi aliquid, nequit illud producere juxta propriam formam; falsum. Nam Geometra virtutem tantum habet producendi figuras, et tamen eas, juxta formas, producit. Itaque ad producendas res juxta proprias formas, sufficit virtus tantum producendi eas, juxta proprias formas. Hanc autem virtutem non repugnat esse in Ente æterno. Ergo non repugnat, unum, idemque Ens æternum, esse omnia entia virtualiter. Ergo exsistit.

Ob. II. Quod ab aliquibus negatur certum esse, jam pro certo haberi non debet. Atqui ab aliquibus negatum fuit, exstare Ens æternum. Ergo pro certo haberi non debet, exstare Ens æternum. Ergo ....

Resp. Dist. maj. Quod negatur fortissimis, evidentibusque rationibus, seu magno fundamento, pro certo etc. conc., quod negatur invalidis rationi-

nibus, vel nullo fundamento, neg. maj. Atqui ... dist. min. validissimis rationibus, neg. nullo prorsus fundamento, conc. min. ergo .... neg. conseq. Igitur quod ab aliquibus negatur evidentibus rationibus, jam pro certo haberi non debet. Nam quod negatur esse certum, secundum rectas regulas veritatis, pro certo haberi non debet. Atqui quod ab aliquibus negatur, evidentibus rationibus, certum esse, jam negatur secundum rectas regulas rationis. Ergo quod ab aliquibus negatur esse certum evidentibus rationibus, jam pro certo haberi non debet. Quod porro invalidis, et nullis rationibus negatur esse certum, pro falso haberi non debet. Nam quidquid invalidis, et nullis rationibus negatur esse certum, non negatur secundum regulas rectas veritatis. Ergo id quod hoc modo negatur esse certum, pro falso revera haberi non debet. Atqui hoc modo negatur ab aliquibus exstare Ens æternum. Ergo pro certo haberi non debet, non exstare Ens æternum. Ergo exstat Ens æternum.

Deinde, licet ab aliquibus negetur, et quidem nullis rationibus, exstare Ens æternum: tamen evidentissimis rationibus demonstratur, ipsum omnino exstare. Nam exsistimus nos (*reliqua in demonstrat. prop.* 3.). Igitur evidentissimis rationibus constat, exstare Ens æternum.

Scho-

Scholium.

Quum autem quidam, qui ne Philosophi quidem nomine digni sunt, ad nostram refutandam propositionem, ad *seriem infinitam contingentium* recurrant; ideo et hoc eorum effugium, ipsis præcludamus, necessum est. Unde sit

Prop. VI. *Series entium contingentium sive finita, sive infinita, omnino repugnat, sine Ente æterno, in quo sit eorum ratio.*

D. I. pars. Supponamus numerum finitum entium istorum esse usque ad decem. Nunc sic: ratio sufficiens decimi vel est in eodem decimo, vel in alio. In ipso decimo esse non potest. Nam est (per hyp.) ens ab alio. Ergo est in undecimo. Jam vero ens undecimum non est ab alio (ex hyp.). Ergo est Ens æternum. Series igitur contingentium finita, sine Ente æterno etc.

D. II. pars. Quum igitur, per adversarios, series sit infinita, a nulloque alio dependeat extra se; jam series ipsa, et a se esset seu æterna, et non a se seu non æterna. A se quidem, quia non penderet ab alio extra se: non esset porro a se, eo quia singula entia, in ipsa serie contenta, essent ab alio. Jamvero pugnat, idem esse a se simul, et non a se. Nam repugnat, idem simul esse, et non esse (ax. 1.) Ergo ... Adeoque . . . . Q. E. O.

SCHOLIUM.

Videtur, primo aspectu, demonstrationem hanc, secundæ partis, efficacissimam non esse, ad seriem infinitam, sine Ente æterno, repudiandam, eo quia homo, ex. gr., potest esse, immo de facto est simul homo, et non est brutum, lapis, cetera. Verum, an hic scrupulus in ea demonstratione locum habeat, videbitur in difficultatum solutionibus. Quare sint

OBJECTIONES.

Ob. I. Ratio igitur, qua adseritur, pugnare exsistentiam seriei entium contingentium infinitam, sine Ente æterno, est, quia esset absurdum, eamdem seriem esse a se simul, et non a se. Atqui non est absurdum, illam seriem esse simul a se, et non a se. Ergo.... Prob. min. Non est absurdum, si esse *a se* illis entibus conveniat in uno sensu, esse autem *ab alio* in alio sensu. Atqui esse a se illis entibus convenit in uno sensu, nempe una conjunctis; esse autem *ab alio*, in alio sensu, nempe seorsum acceptis. Ergo...

Resp. Conc. maj. dist. min. si id fieri posset; conc. min., si fieri nequeat, neg. min. ergo etc. neg. conseq. Igitur non est absurdum, exstare seriem infinitam entium contingentium, sine Ente æterno, si attributum *a se* illis entibus conveniat in uno sensu, esse autem *ab alio*, in alio sensu. Nam tunc verificatur esse absurdum, idem simul esse, et non esse, quando idem prædicatur, et

non

non, præsertim de eodem prædicato. Atqui, hoc in casu, non prædicatur idem de eodem, eodem modo, et diverso. Ergo.... Quare.

Prædicatum autem *a se* nequit omnino convenire illis entibus una conjunctis, quin conveniat seorsum acceptis. Nam prædicatum in omni composito duplex est, *absolutum*, et *relativum*. Primum est illud, quod ita competit composito, ut nequeat non convenire etiam singulis ipsius partibus, seorsum acceptis, ut gravitas in corpore naturali. Secundum, illud est, quod convenit partibus una junctis, non autem seorsum acceptis; ut in eodem corpore naturali rotunditas, quadratura, quæ pendent a tali, et tali dispositione partium ipsarum. Quibus positis, dico, prædicatum *a se* esse maxime absolutum. Nam omne id, quod alicui in omni statu, et modificatione competit, est prædicatum absolutum. Atqui prædicatum *a se* ei, cui competit, in quocumque statu concipiatur, semper competit. Nam si prædicatum *a se* non competeret semper, in quocumque statu concipiatur, ei, cui competit, jam in aliquo casu posset esse *ab alio*, et non *a se*. Hoc autem absurdum est adserere, independens posse mutari. Atqui prædicatum *a se* est independens, uti patet, ergo.... Quare si prædicatum *a se* semper competit, et in quocumque statu, ei, cui competit; sequitur, ipsum esse prædicatum *absolutum*; adeoque nequit convenire illis infinitis entibus una junctis, quin conveniat singulis, seorsum acceptis. Sed seorsum acceptis non convenit, per adversarios;

rios; ergo nec simul junctis. Ergo semper restat firmum, quod series etc.

Inst. Atqui prædicatum illud *a se* potest reperiri in illis infinitis entibus *ab alio*, una junctis, quin reperiatur in ipsis seorsum acceptis. Ergo .... Prob. subs. Figura sphærica convenit partibus sphæræ simul junctis, quin conveniat seorsum acceptis. *Ecclesiæ* nomen convenit omnibus Christifidelibus simul acceptis, quin conveniat iisdem seorsum consideratis. Ergo a pari...

Resp. Conc. ant. dist. consequens: si prædicatum *a se* esset prædicatum *relativum*, sicuti *Figura*, et *Ecclesia*, conc. si est *absolutum*, neg. cons., et paritatem. Igitur tum figura sphærica, tum Ecclesia conveniunt suis partibus una junctis, quin conveniant seorsum acceptis. Nam tum figura sphærica, tum Ecclesia sunt prædicata *relativa*. Siquidem conveniunt partibus una junctis, non autem seorsum acceptis, ex adversariorum etiam objectione. Jamvero prædicata relativa conveniunt partibus alicujus, una junctis, quin conveniant seorsum acceptis. Ergo etc. Quare si etiam prædicatum *a se* esset relativum, ipsum quoque conveniret illis infinitis entibus *ab alio* una junctis, non autem seorsum acceptis. At quia prædicatum *a se* est maxime absolutum, ut supra (resp. ant.) diximus; sequitur, ipsum non posse convenire illis entibus una junctis, quin conveniat singulis seorsum acceptis.

Inst. Atqui licet prædicatum *a se* sit absolutum; tamen potest convenire illis infinitis entibus ab alio una conjunctis, quin conveniat singulis, seor-

 sum-

sumque acceptis; ergo etc. Prob. subs. Sonus tubæ est aliquid absolutum, quia non procedit a partium tubæ relatione, sed a vi motrice, quæ est aliquid absolutum, et hoc non obstante, ipse sonus convenit quidem omnibus tubæ partibus simul conjunctis, quin conveniat singulis, seorsumque acceptis. Ergo a pari etc.

Resp. Dist. ant. Ita magnus, ut in tota tuba, C., non convenit debilis, atque exiguus, pro partium singularum magnitudine, neg. ant. ergo... n. cons. et paritatem. Divisa itaque in partes tuba, jam partes illæ (si in eas sufflabis) habebunt singulæ, seorsumque acceptæ sonum, sed non ita magnum, ut est in tota tuba. Nam habebunt hujusmodi sonum, si id constabit experientia. Atqui id constabit experientia. Nam constabit experientia, si divisa tuba in suas partes, et in eas insufflando, dabunt exiguum sonum, pro partium magnitudine. Atqui res de facto ita se habet. Ergo... Ergo ex quo sonus est aliquid absolutum, sequitur revera, ipsum reperiri in partibus tubæ et simul junctis, et seorsum acceptis: Id porro non evenit illis entibus *ab alio*. Nam ex ipsis adversariis constat, eis non convenire attributum *a se* seorsum acceptis. Quum autem prædicatum *a se* sit maxime absolutum (resp. 1.), et per ipsos adversarios, non conveniat illis entibus seorsum assumptis, sequitur nec convenire posse iisdem simul acceptis. Ergo...

Ob-

Objectio II.

Mundus est æternus, et a nulla caussa productus: sed hoc posito, jam patet apertissime, dari posse seriem infinitam entium contingentium, absque Ente æterno. Ergo...

Resp. I. Transeat maj. conc. min. ergo ... neg. conseq. Nos suo loco confutabimus æternitatis mundi patronos, et præsertim impiissimum Benedictum Spinosam. Posita autem mundi æternitate, et independentia, verum est, sequi posse exstare seriem infinitam entium contingentium absque ente æterno. Nam in mundo successio entium observatur. Quare posita mundi æternitate, et independentia verum est, etc. Ast entium successio, cum æternum independenti, pugnat (prop.2.)

Resp. II. Transeat maj. neg. min. et cons. Posita igitur mundi æternitate, et independentia, non sequitur dari posse seriem infinitam contingentium absque Ente æterno. Nam mundi materia vel creatur quotidie, juxta processionem contingentium, vel est æterna. Non creatur quotidie. Nam mundus, per adversarios, est æternus. Ergo est æterna. Ergo, data etiam, et non concessa, mundi æternitate, et independentia, exstat quoque ens æternum cum illa infinita serie contingentium. Ergo...

Tandem, ut omnis tollatur scrupulus, circa expositam a nobis propositionem, dicimus, seriem infinitam contingentium, absque Ente æterno, pugnare omnino. Et re quidem vera, dum ens A, ex. gr., producitur ab Ente B, materia istius

 en-

entis B, vel creatur ab ente A, vel modificatur tantum. Si creatur, jam A vi pollet infinita. Nam creatio est productio rei ex nihilo sui, et subjecti. Atqui ad producendum aliquid ex nihilo sui, et subjecti requiritur vis infinita. Nam inter nihilum, et aliquid distantia reperitur infinita. Ergo ... adeoque infinitæ est entitatis. Ergo independens, et æternum. Si autem illa materia non creatur, jam sequitur, esse increatam; adeoque æternam (5). Quare firmissimum semper restat, quod series entium contingentium etc.

CAPUT II.

In quo demonstrantur præcipua attributa Entis æterni, cujus exsistentiam modo ostendimus.

Definitiones.

Defin. I. Substantia est id, quod ita per se subsistit, ut altero non egeat, cui inhæreat, ut exsistat: ut homo, planta, lapis.

Def.

(1) Et hoc dicimus, argumentando *ad hominem*, cum adverſariis. Ceterum, ens æternum *materiale*, hoc eſt extenſum, diviſibile, phyſice compoſitum, &c. ut eſt corpus, eſſe non poſſe, ne finitæ quidem entitatis; infra patebit (prop. 5. & ſeqq.)

Def. II. Accidens est id, quod ita substantiæ adjungitur, ut possit in illa esse, aut abesse, absque substantiæ destructione, ut albedo in muro, virtus in anima.

SCHOLIUM I.

Dividunt Scholastici accidens in tres species, nempe in *Verbale*, *Prædicabile*, et *Prædicamentale*: Verbale dicunt illud, quod licet substantia realis in se sit, tamen ad rei, cui adjungitur, essentiam non spectat, ut vestes respectu hominis, quem actu cooperiunt. Prædicabile est illud, quod potest univoce prædicari de illis omnibus, quibus est commune, ut virtus, quæ prædicatur de prudentia, caritate, fortitudine etc. Prædicamentale tantem est illud, quod sine substantia esse nequit; ut albedo, nigredo, scientia.

SCHOLIUM II.

Præter hæc, est et *accidens absolutum*; et est illud, quod, licet naturaliter, sine subjecto, cui inhæreat, ut exsistat, exstare nequeat; supernaturaliter tamen, et per miraculum, exstare potest, ut de facto, per Scholasticos, talia sunt illa accidentia, quæ reperiuntur in Eucharistia, post consecrationem, ut sapor, color, figura etc.

Def. III. Essentia est id, quo res est id, quod est. Sic id, quo Petrus est Petrus, dicitur essentia Petri.

SCHOLIUM.

Quum autem id, quo res est id, quod est, nobis sit ignotum; sequitur ignotam quoque nobis esse essentiam rerum, illarum tamen, quæ a nobis factæ essentialiter non sunt, ut corpora, mentes, et cetera hujusmodi. At illarum, quæ a nobismetipsis essentialiter fiunt, essentiam nequaquam ignorare possumus. Hujusmodi sunt essentiæ triangulorum, quadratorum, figurarum omnium mathematicarum. Item rerum a nobis excogitatarum, quæ non exstant, nisi in ideis nostris.

Def. IV. Entitatis, quidditatis, et naturæ nomine idem hic intelligo, ac id, quod intelligo nomine essentiæ.

SCHOLIUM I.

Vocabulum *naturæ*, sicut et vocabulum substantiæ, est confusissimum. Multipliciter enim a Philosophis assumi solet. Naturæ siquidem nomine intelligunt primo mundi hujus systema, universi machinam, vel omnium creatorum entium universitatem. In quo sensu dicimus Deum auctorem naturæ, idest mundi adspectabilis, vel omnium entium creatorum, vel systematis universi. II. Varias species entium creatorum, et increatorum spiritualium, et corporeorum. Hoc sensu dicimus naturam humanam, divinam, angelicam, corpoream etc. III. Id, quo res est id, quod est; quo sensu accipimus et nos inpræsentiarum. Hoc sensu accepta natura, ajunt Cartesiani, naturam men-

mentis humanæ esse cogitationem, naturam vero corporis extensionem. IV. Ordinem, cursumque rerum materialium, series caussarum secundarum, vel leges motuum ab ipso Deo corporeis rebus impositas. Quo sensu, illos, qui Physicæ student, *naturæ studentes* vocamus. Item hoc sensu natura facit, ut nox diei succedat. V. Aggregationem virium spectantium ad corpus quodcumque, præsertim ad corpus viventium. Hoc sensu per Medicos natura dicitur robusta, debilis, infirma etc. vel in hoc, vel in illo malo natura ipsa curatur. VI. Actionem providentiæ, omnium rerum principium; vel potentiam illam, quæ in omnibus corporibus operatur, dans illis quasdam proprietates, producensque quosdam effectus. Hoc sensu accepta natura, est ipsemet Deus, a seipso pro lubitu operans, juxta leges ab ipso constitutas. VII., Speciem quandam artis divinæ, entibus communicatam; quæ ea ad fines, ad quos determinata sunt, conducit. Hoc sensu natura non est, nisi colligatio, seu series caussarum, atque effectuum, vel ordo ille, seu illa œconomia, quam Deus constituit in partibus operis suæ creationis. Hoc pariter sensu miracula supernaturalia dicuntur. Item hoc sensu artes, mediantibus instrumentis, naturam compellere dicimus.

Scholium II.

Per scholæ Theologos est etiam *natura naturans*, et *natura naturata*. Illa utuntur loquendo de Deo, qui omnibus dat esse seu naturam: hac vero lo-

quendo de creaturis, quæ suam naturam accipiunt ab alio (*).

Def. V. Infinitum illud dicimus, quod nec principium habet, nec finem. Quo sensu Deus solus est infinitus.

SCHOLIUM.

Usurpatur etiam vocabulum *infinitum* pro omni, quod initium quidem habuit, sed finem non habebit, et e contra. Primum Scholastici vocant *infinitum a paste post*; secundum vero, *infinitum a parte ante*.

Def. VI. Unum illud dicitur, quod in seipso quidem indivisum est, sed divisum atque sejunctum ab omni alio, ut Sol, Luna, etc.

(*) Præter ea, quæ diximus, de *natura*, eſt etiam natura 1. *immutabilis*, eſtque ille inſtinctus ſeu illud dictatum naturale *rectitudinis*, quod omnes in nobis ſentimus. 2. *Corruptibilis*, eſtque natura humana, quoad corpus. 3. *Deteſtabilis*, & eſt illa obſtinata mala conſuetudo in vitiis, & peccatis ita continuata, ut hæc in naturam converſa ſint. 4. *Commendabilis*, quæ, antecedenti modo dictæ contraria, eſt bona conſuetudo, quæ ſecundum Senecam, eſt altera natura. 5. *Lapsa*, quæ originaria labe infecta eſt, nec dum expiata. 6. *Reparata*, quæ, per Chriſtum a culpa prædicta expiata eſt. 7. *Pura*. 8. *Integra*. 9. *Lapsu non reparanda*. Aſt de iſtis tribus ultimis vide Theologos.

Scholium I.

Unum porro vel est unum *unitate simplicitatis*, vel unum *unitate compositionis*. Primum est illud, quod indivisum est, et indivisibile. Sic Deus, Angelus, Mens. Alterum vero est id, quod, licet indivisum, est tamen divisibile; ut homo, lapis, planta. Primum dicitur quoque *unum simplex*, *simpliciter* etc. Alterum vero *unum compositum*. Item est unum *per se*, et unum *per accidens*. Primum convenit illi, cujus partes simul in aliquo subjecto sunt conjunctæ; ut homo: secundum est illud, cujus partes non sunt conjunctæ in aliquo subjecto; ut acervus tritici.

Scholium II.

Est etiam unum *singulare*, seu *numericum*, et unum *universale*, seu *abstractum*. Item unum *reale*, et *imaginarium*. Quorum vocabulorum notiones, ex antecedentibus patent.

Scholium III.

Disputatur tandem de origine notionis *unius*; et quidem dicunt esse ingenitam, alii vero ajunt originem habere a sensibus. Prioris sententiæ fuere Plato, Photinus, Augustinus, Mersennus, alii. Posterioris vero fuerunt Lockius (qui abunde demonstrat *unius* notionem a sensibus peroptime oriri posse), cum aliis pene innumeris.

Def.

Def. VII. Res perfecta dicitur, quæ ita plene facta est, ut nihil ei addi, nihil demi possit.

SCHOLIUM.

Quare *perfectio* (*) est ille status rei ita factus, ut nihil ei addi, nihilque demi possit. Dividitur porro in *divinam*, et *humanam*. Prima est illa, cui nihil reliquum est, quod divina arte addatur; secunda vero, cui nihil deest, quod addat ars humana. Item perfectio dicitur *finis*, si ita fini correspondeat, ut nihil ei desit, ut correspondeat ad talem finem; e contra *imperfectio finis*, si vel omne, vel aliquid deest, ad ipsum finem respondendum. Rursus perfectio *entitatis*, est illa, quæ ita essentiam perficit, ut nihil ipsi desit, ut sit talis. Res porro entitative magis, minusve perfectæ dicuntur pro ratione contingentiæ, quam habent ad exsistendum; itaut, quæ minus contingenter exsistunt, magis perfectæ entitative dicuntur earum, quæ magis contingenter exsistunt. Minus autem contingenter exsistunt, quæ nec generantur, nec corrumpuntur, et inter hæc, quæ majori attributorum numero, vel iisdem, sed intensioribus, prædita sunt; hujusmodi sunt substantiæ simplices: et, inter spiritus, intelligentiores: magis vero contingenter exsistere dicuntur ea, quæ generantur, et corrumpuntur, ut corpora.

(*) Ultra quæ hic de *perfectione* dicimus, multa lectu digna habet Berchorius *Diction. Moral. voc.* perfectio.

ra. Est item perfectio *Metaphysica*, vel *Moralis*. Metaphysica est idem, ac perfectio entitatis; Moralis autem est gradus, vel status eminens virtutis, vel bonitatis moralis.

Def. VII. Infinite perfectum *extensive* dicitur illud, cui nulla omnino possibilis perfectio deest: *intensive* vero illud, cujus nulla perfectio est, quæ amplius augeri potest, eo quod est infinita.

PROPOSITIONES.

Prop. I. *Ens æternum substantia est* (6).

D. Nam substantia est id, quod ita per se, vel a se exsistit, ut altero non egeat, cui inhæreat, ut exsistat (Def. I. hujus cap.). Jamvero Ens æternum altero non eget, cui inhæreat, ut exsistat: nam exsistit independenter, quum sit a se. Ergo...

Prop. II. *Ens a se debet in se continere rationem sufficientem omnium contingentium.*

D. Nam si ita non esset, jam posset esse aliquod ens contingens, quod non haberet rationem sufficientem exsistentiæ suæ in Ente a se. Quare vel haberet in seipso, vel in altero pariter contingenti. Non in seipso; quia aliter esset Ens a se, adeoque necessario exsisteret, et amplius non es-

(6) Subſtantia a *substando* dicitur, quatenus ſubſtat accidentibus; & a *subsistendo*, quatenus per ſe, vel a ſe ſubſiſtit. Hoc ultimo ſenſu eam hic accipimus, nempe quatenus *a se* ſubſiſtit:

esset contingens (def. 9. c. 1.); neque in alio pariter contingenti, quia eadem de isto esset interrogatio, et eadem de alio. Jamvero series contingentium sive finita, sive infinita omnino repugnat, sine Ente æterno, in quo sit eorum ratio (prop. 6. c. 1.). Ergo nullum contingentium potest habere rationem exsistentiæ suæ extra Ens a se.

Quum autem entia possibilia sint etiam contingentia, quia ipsa quoque possunt vel exsistere, vel non , et rationem possibilitatis extrinsecæ habeant in Ente æterno; sequitur etiam ista possibilia, possibilia extrinsece esse non posse, nisi hujusce extrinsecæ possibilitatis rationem habeant in Ente æterno. Ex contingentibus ergo , nullum habet rationem sui extra Ens æternum. Ergo . . . . Q. E. D.

Prop. III. *Dato uno possibili, infinita, ei similia, possibilia sunt.*

D. Nam possibile illud dicitur, quod non pugnat esse (Def. 2. c. 1.). Ergo quæcumque esse non pugnant, sunt possibilia. Omnia porro, quæ ei, quod non pugnat esse, similia sunt, necesse est, ut non pugnent esse. Ergo quæcumque dato possibili similia sunt, sunt possibilia. Jamvero, dato uno possibili, infinita ei similia esse possunt (patet). Quare . . . . (7)

Prop.

(7) Hinc quiſque arguere poſſet : *Est possibile, unum Ens æternum ; Ergo & infinita ei similia*. Sed perperam. Nam hæc propoſitio noſtra locum habet in entibus finitæ entitatis tantum. Patet infra prop. 6. & 7. huj.

Prop. IV. *Possibilia finitæ entitatis sunt infinities infinita.*

D. Siquidem quod est finitæ entitatis, potest concipi perfici in infinitum.. Ergo concipi possunt infinita entia distincta finitæ entitatis. Eaque omnia possibilia erunt. Sed quoniam, dato uno possibili, infinita ei similia possibilia sunt (p. ant.); sequitur, quod . . . . (8)

Prop. V. *Ens a se, in quo est ratio sufficiens omnium contingentium (p. 2. huj. cap.), est infinitæ entitatis.*

D. Nam Ens istud debet in se continere rationem sufficientem omnium contingentium (p. 2. huj.). Ergo et omnium possibilium (p. cit.). Jamvero possibilia finitæ entitatis sunt infinities infinita (p. ant.). Ergo Ens æternum debet in se continere rationem sufficientem infinities infinitorum. Hoc autem fieri nequit, nisi sit infinitæ entitatis. Nam si non esset infinitæ entitatis, plus contineret, quam ferret sua natura, quod est absurdum . . . . q. e. o.

Co-

---

d

(8) Sic, ſit linea infinita *a* . . . . *b*. Habebis in ea in-

f

finita puncta; adeoque infinita entia contingentia finitæ entitatis. Porro unumquodque iſtorum punctorum extendatur verſus *d*, & verſus *f* in infinitum; habebis infinitas lineas infinitas. Quum autem unaquæque contineat infinita puncta; jam patebit, puncta, adeoque entia poſſibilia finitæ Entitatis, eſſe infinities infinita.

COROLLARIUM.

Ens ergo a se est infinite perfectum *intensive*, et *extensive*.

Prop. VI. *Plura entia infinitæ entitatis impossibilia sunt*.

D. Si enim sunt possibilia, necesse est, ut aut numero, aut specie differant. Jamvero quæ inter se differunt, sunt diverse terminata. Ergo non sunt hæc plura, omnia infinitæ entitatis. Nam hoc in casu aliquid proprium unius esset, quod alteri nullimode conveniret. Ergo . . . .

COROLLARIUM.

Ergo non est possibile, nisi unum Ens infinitæ entitatis, quod est Ens æternum, et a se (p. 5. huj.)

Prop. VII. *Unum est Ens a se, seu Ens æternum*.

D. Ens a se est infinitæ entitatis (p. 5. huj.). Plura entia infinitæ entitatis impossibilia sunt (p. ant.). Ergo si Ens a se est infinitæ entitatis, solum ipsum est. Ergo Ens a se etc. quod erat demonstrandum (9).

Prop. VIII. *Ens a se est simplicissimum*.

D. Ens est a se immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam (p. 2. cap. 1.). Ergo non est compositum. Omne enim compositum constat par-

(9) Legatur Beatus Thomas *lib. I. contra Gent. cap.* 43.

partibus. Quod constat partibus est divisibile. Quod tandem divisibile est, et mutabile (patet). Si igitur Ens æternum est immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam; sequitur, quod est etiam simplicissimum. Q. E. D.

Corollarium.

Ergo Ens æternum non est, nisi una tantum substantia. Aliter enim esset compositum, quod pugnat (per hanc pr.).

Prop. IX. *Ens æternum continet in se omnes possibiles perfectiones.*

D. I. Si non continet omnes, jam aliquæ ipsi desunt: si desunt, potest eas acquirere, adeoque posset mutari. Jam vero Ens æternum debet esse immutabile (p. 2. cap. 1.). Ergo potest eas acquirere, et non acquirere. Acquirere quidem, quia ipsi deessent (per hyp.); non acquirere autem, eo quia mutari non potest (p. cit.). Jamvero idem simul esse, et non esse repugnat (ax. 1. cap. I.). Ergo, ne hæc pugnantia admittatur, dicendum, Ens æternum ita in se continere debere omnes possibiles perfectiones, ut ne una quidem ipsi desit, quam possit acquirere.

D. II. Præterea Ens æternum continet in se omnes possibiles perfectiones, si est infinite perfectum *extensive*, et *intensive*. Atqui Ens æternum est infinite perfectum *extensive*, et *intensive* (Coroll. p. 5. huj.). Ergo .... Q. E. D.

Prop. X. *Ens æternum omnes, quas continet, perfectiones, continet in summo; itaut perfectibiles adhuc*

hue esse non possint, nempe sunt infinite perfectæ.

D. Siquidem, si non contineret in summo gradu, et infinite perfectas, jam possent eæ perfectiones perfici in infinitum usque; adeoque Ens æternum non deberet esse immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam. Jamvero Ens æternum debet esse immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam. (prop. 2. cap. ant.). Ergo eæ perfectiones mutari non possunt; adeoque sunt infinite perfectæ. Ergo . . . .

Prop. XI. *Ens æternum est intelligentissimum.*

D. I. Ens æternum continet in se omnes possibiles perfectiones (p. 9. huj.). Sed intelligentia est perfectio: perficit enim illud, cui inest; ergo eam continet Ens æternum. Præterea, Ens æternum omnes, quas continet perfectiones, continet in summo gradu (p. 10. huj.). Si igitur continet intelligentiam, eam continet in summo gradu; itaut sit infinite perfecta. Ergo . . .

D. II. Ens æternum est infinite perfectum *intensive*, et *extensive* (pro Cor. p. 5. huj.). Ergo continet omnes possibiles perfectiones. Jamvero intelligentia est perfectio. Ergo eam continet ens æternum (p. 9. huj.), et quidem in summo gradu (p. 10. huj.). Ergo . . .

Prop. XII. Ens æternum est ens perfectissimum.

D. I. Ens æternum continet omnes possibiles perfectiones (p. 9. huj.); et quidem in summo gradu (p. 10. hujus.). Ergo . . . .

D. II. alio ordine. Ens æternum est perfectissimum, si nihil perfectionis ipsi desit. Atqui nihil perfectionis ipsi deest; continet enim omnes pos-

sibiles perfectiones (p. 9. huj.), et quidem in summo gradu; ita ut singulæ sint infinite perfectæ (p. 10. huj.). Ergo....

S c h o l i u m.

Quum nos dicimus Ens æternum esse perfectissimum, nihil aliud intelligimus, nisi quod sit infinite perfectum *intensive*, et *extensive*, seu quod omnes possibiles perfectiones contineat, et quidem in summo gradu (prop. 9. 10. huj.).

Prop. XIII. Ens a se est sempiternum, hoc est, nec principium habuit, nec finem habebit.

D. I. p. Ens a se non habet, nisi in se rationem sufficientem exsistentiæ suæ (cor. def. 3.) Ergo principium non habuit. Nam si habuisset principium, non haberet se rationem sufficientem exsistentiæ suæ. Ergo non esset ens a se, quod est contra hypothesim. Ergo . . .

D. 2. p. Ens a se non habet, nisi in seipso rationem sufficientem exsistentiæ suæ (Cor. cit.) Ergo est independens. Quare si finem esset habiturum, vel id esset, quia destrueretur ab alio, vel quia ex seipso destrueretur. Non ab alio. Nam ens a se est independens. Non a seipso; nam 1. nihil potest esse sui destructor. Tritum namque est omnibus illud,

De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

2. Quum sit simplicissimum (p. 86.), postquam destruxisset seipsum, ipsummet adhuc superesset, quod seipsum destruxisset: hoc est, destruxisset, ut supponeretur; non destruxisset, quia ens ipsum,

quod naturam destruxisset suam, et exsistentiam, adhuc superesset. Jamvero pugnat idem simul esse posse, et non esse (ax. 1. c. 1.), Ergo pugnat, Ens æternum posse seipsum destruere. 3. Ens æternum est immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam (p. 2. c. 1.). Ergo destrui nullimode seipsum potest. Igitur Ens æternum non habebit finem exsistentiæ suæ. Ergo quum demonstratum pariter sit, ipsum nec principium habuisse; sequitur apertissime, ipsum esse sempiternum. Q. E. D. (10).

SCOLIUM.

Et hæc sunt præcipua Entis æterni attributa; quæ in præsenti capite perfecte demonstrare aggressi fuimus. Ergo Ens æternum est 1. substantia (p. 1. huj.): 2. debet in se continere rationem sufficientem omnium contingentium (p. 2. huj.): 3. est infinitæ entitatis (p. 5. huj.): 4. est unum (p. 7. huj.): 5. est simplicissimum (p. 8. huj.): 6. non est, nisi una tantum substantia (cor. p. modo cit.): 7. Continet in se omnes possibiles perfectiones (p. 9. huj.); et quidem 8. in summo gradu (p. 10. huj.): 9. est intelligentissimum (p. 11. huj.): 10. est perfectissimum (p. 12. huj.): 11. est sempiternum

(10) Ceterum de Entis Æterni attributis legantur propositiones IX. Clarkii, apud l'Esprit de l'Enclyclopedie *tome* 6. *Art.* Dieu.

num (p. ult.). Ex istis perfacile intelligi potest, quodnam sit Ens æternum; cui enim hæc attributa conveniunt, ipsum est Ens æternum. Procedamus. Sit ergo

CAPUT III.

In quo demonstratur 1. Materiam primam Aristotelis non esse ens æternum, de quo in antecedentibus loquuti sumus : 2. Neque item Atomos Epicureorum.

Definitiones.

Def. I. Materia prima, secundum Aristotelem; est subjectum primum, ex quo insito, et remanente, fiunt corpora naturalia, et in quod ultimum resolvuntur, si quid interierit.

Scholium I.

Dicitur itaque *subjectum primum*, quia materia hæc non fit ex aliquo priori subjecto. Dicitur deinde *ex quo insito etc.*; quia ex ea, tamquam ex massa quadam communi, diversis, distinctisque accedentibus formis, fiunt corpora naturalia. Dicitur tandem *et in quod ultimum resolvuntur, si quid interierit*, quia corpora naturalia, quum dissolvuntur, redeunt iterum in materiam primam, seu, quod idem sonat, dum corpora naturalia

 dis-

dissolvuntur, amittendo proprias formas, remanent iterum subjectum, seu materia prima, ex qua, mediantibus formis, originem duxerant.

Scholium II.

Materia igitur hæc omni plane sensibili forma destituta est, simulque est omnium capax: nempé materia isthæc lignum non est, neque ferrum, neque lapis, neque planta, neque etc. Sed tantum *subjectum primum*, *primum substratum*, *prima substantia*, ex qua, mediantibus formis, et lapis, et ferrum, et lignum fieri possunt. Dicitur porro *una* hæc materia, id est *homogenea*, *ejusdem naturæ*. Dicitur *simplex*; idest indivisibilis: est siquidem primum substratum. Dicitur *æterna*, quia ab æterno exstitisse somniavit Aristoteles.

Exsistat porro, necne, et quomodo ejusmodi informis materia, nos in præsentiarum non quæremus, quum de ipsius exsistentia videri possit Mazziotta in opere, cui titulus: *Quæstiones selectæ .... quæst.* 3., et Edmundus Purchotius in sua Physica generali *tom.* 2.

Def. II. Atomi (græce Ατομοι, ab α privativo, et τεμνω *temno*, *seco*, *divido*, eo quod sunt insectilia, ut ajunt Epicurei) sunt corpuscula quædam minutissima, et insectilia, utpote solida, nullumque intra se vacuolum, nullosque meatus habentia.

Scholium I.

„ Ex his (*apposite D. Isidorus Etymologiarum* „ *lib.* 13. *cap.* 2.) arbores, et herbas, et fruges „ omnes oriri, et ex his ignem, et aquam, et „ universa gigni, atque constare quidam Philoso- „ phi (*hique sunt Epicurei*) Gentium putaverunt „.

Scholium II.

Atomi porro (ut præclare advertit idem sanctissimus Præsul loc. cit.) vel sunt *corporis*, et sunt quæ modo definivimus: vel *temporis*, et sunt illæ horæ partes, quæ in seipsis amplius dividi nequeunt; ut si dividam horam in dimidiam, dimidiam in quadrantes, quadrantes in minutas partes indivisibiles, quæ vocantur *atomi*, *momenta temporis*: vel *numeri*, et sunt unitates numeri decimi, ex. gr., octavi, etc. vel sunt *litteræ*; ut si dividas orationem in periodos, periodos in membra, membra in incisa, incisa in dictiones, dictiones in syllabas, syllabas in litteras, quæ vocantur *atomi litteræ*: est tandem et atomus *Geometrica*, et est punctum. Ex his porro generice dictis, sequitur, nos posse recte dicere *atomum panis*, *aquæ*, *vini*, *lapidis*, *plantæ*, etc. Idem dic de variis partibus temporis, orationum, figurarum mathematicarum, etc.

I. Ex quo materia prima Aristotelis sit *primum subjectum*, ut diximus, *ex quo insito*, etc. Item ex quo Aristoteles eam nominet *primam*, asseratque esse ingenerabilem, unam, simplicem, incorruptibilem, et immutabilem, ut videri potest in suo lib. 1. Physicorum cap. ult., suspicari potest ab aliquo, ipsam esse ens æternum (11), de quo in antecedentibus loquuti sumus. Verum, quam id false suspicaretur, in sequentibus propositionibus abunde videbimus.

II. Epicurus cum suis, nullum aliud esse ens æternum, ajebat, nisi illas infinitas atomos, quas ipse cum suis excogitavit. Asseruit itaque, atomos istas ab æterno, et a se exsistentes, concursu quodam fortuito, mundum hunc adspectabilem composuisse, atque conformasse; earundemque varia, et quotidiana conjunctione, separatione, transpositione, vel additione, omnia, quæ generari videntur, per dies, generari; omnia, quæ videntur corrumpi, corrumpi; omnes, quæ videntur, operationes, fieri: verbo, universum totum aliud non esse (ajebat ipse), nisi infinitarum illarum æternarum atomorum fortuitam conjunctionem, transpositionem, additionem, vel detra-

(11) De facto materiam primam eſſe ens æternum voluerunt Abnericus, & David de Dinantio. Ceterum quod ſpectat ad temporariam materiæ exſiſtentiam, legatur Nonnottus in Dictionario Philoſophico *tom.* 2. *v.* Materia *quæst.* 2.

tractionem eorumdem atomorum (12). Quum autem per ipsum Epicurum, atomi istæ sint corporeæ, sequitur apertissime ex suo hoc impio systemate

Corollarium I.

Omnia corporea esse, nullumque exstare spiritum, nullamque spiritualem substantiam. Adeoque

Corollarium II.

Mentes humanas non spirituales, sed materiales esse. Nihil enim, præter atomos materiales, agnoscit Epicurus.

(12) Licet hujuſmodi ſyſtema Epicuro, atque, ex eo, Epicureis, tribuatur; non fuit tamen ipſe Epicurus hujuſce ſyſtematis inventor. Nam primum omnium dicitur fuiſſe Moſchum quemdam Phœnicium, qui floruit ante bellum Trojanum. Ab iſto doctrinam atomorum acceperunt primi inter Græcos Leucippus, & Democritus, quorum poſtremus hujuſmodi doctrinam maximo jure promovit; eamque *hereditatem stultitiæ* (ut ait Lactantius *de falſ. ſap. cap. 7.*) *reliquit Epicuro*. Quum autem Epicurus hanc acceptam a Democrito doctrinam plus, quam ſuus Magiſter, ampliaſſet; inde factum eſt, ut hujuſmodi atomorum ſyſtema Epicuro, Epicuriſtiſque tribueretur. Quænam porro ſint Epicuriſticæ ſectæ dogmata præcipua, videri poterunt apud Monteirum *tom. 1. Phyſicæ part. 1.*, ubi de hac ſecta agit.

Corollarium III.

Item, mentes humanas esse mortales. Sunt enim compositæ ax atomis, et quidem fortuito, adeoque fortuito dissolventur.

Corollarium IV.

Nullum esse ens sapientissimum, quod sua sapientia mundum gubernet, adeoque nullum Deum. Omnia siquidem fortuito atomorum concursu fiunt per Epicurum.

Corollarium V.

Nihil creatum esse, nihilque creari, sed omnia æterna esse quoad substantiam, non autem quoad modificationem.

Scholium.

Hæc, aliaque propemodum infinita absurda, ex Epicureorum sententia, profluunt, quæ omnia numerare prætermitto, et propter temporis brevitatem, et propter magnam facilitatem, qua ab omnibus parum attendentibus deduci possunt: tantum animadverto hic, quod hæc sententia, quomodo ab Epicuro excogitata est, ab omnibus sanæ mentis Philosophis, tamquam omnium absurdissima rejicitur, eamque rejicimus et nos.

Propositiones.

Prop. I. *Materia prima Aristotelis non est immutabilis.*

D. Nam illud non est immutabile, quod recipit; et amittit varias formas, et modificationes. Atqui materia prima Aristotelis recipit, et amittit varias formas, et modificationes. Nam ex ea, tanquam ex massa quadam communi fiunt (sch. 1. def. 1. huj.) corpora naturalia, ligna scilicet, ferrum, ignis, alia, et in eam iterum reducuntur, quum corrumpuntur (ibidem), et dissolvuntur. Ergo...

Prop. II. *Materia prima Aristotelis non est ens æternum.*

D. Siquidem, ens æternum debet esse immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam (p. 2. cap. 1.). Ergo quod immutabile non est, non est ens æternum. Jamvero materia prima Aristotelis immutabilis non est (p. 1. cap. huj.) Ergo.... Q. e. d.

Prop. III. *Atomi Epicureorum non sunt immutabiles.*

D. I. Nam atomi istæ inter se invicem conjunguntur, transponuntur, adduntur, detrahuntur, et sic fiunt corpora naturalia, eorumque modificationes (§. 2. huj.). Jamvero omnia hæc sunt mutationes. Ergo atomi istæ mutationibus obnoxiæ sunt. Ergo....

D. II. Atomi istæ quum æternum constituerent Chaos, ex fortuita quadam, et casuali conjunctionem mundum hunc per Epicureos constituere, et

et conformarunt (§. 2. huj.), et temporis decursu iterum, fortuita pariter earum atomorum separatione, mundum hunc periturum, affirmabant, iterumque fortuito earundem concursu renovandum. (vide Monteirum hist. phil. *secta Epicurea*) Atqui hæc omnia mutationes sunt. Ergo atomi sunt mutationibus obnoxiæ; adeoque ...

Prop. IV. *Atomi Epicureorum non sunt ens æternum, de quo in antecedentibus loquuti sumus.*

D. Ens æternum debet esse unum (p. 7. cap. 2.), debet esse immutabile, quoad essentiam, et quoad exsistentiam (pro. 2. cap. 1.); atqui atomi Epicureorum unitatem excedunt (§. 2. huj.), et immutabiles non sunt (p. 3. huj.). Ergo ... q. e. d.

Objectiones.

Ob. I. Quod continet rationem sufficientem omnium contingentium, est ens æternum. Atqui atomi Epicureorum continent in se rationem sufficientem omnium contingentium. Ergo ... Prob. min. Per atomistas omnium rerum origo repetitur a varia atomorum æternarum conjunctione, additione, detractione, et transpositione (§. 2. huj.); Ergo ... adeoque.

Resp. dist. ant., et id adseritur sine ulla ratione, c. Secus n. ant., et conseq. Adseritur itaque ab atomistis, atomos æternas continere rationem sufficientem omnium rerum, sed non modo sine ratione, verum etiam contra omnem rationem. Nam 1. omnis atomus est substantia. Sed atomi

atomi per Epicureos sunt infinitæ (§. 2. huj.). Ergo infinita exstarent entia æterna, quod pugnat. Unum enim est ens æternum (p. 7. cap. 2.). 2: Atomi istæ sunt æternæ (§. 2. huj.). Igitur unaquæque earum est a se, quum in seipsa habeat rationem exsistentiæ suæ. Jamvero ens a se debet esse immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam (p. 2. cap. 1.). Ergo atomi Epicureorum sunt immutabiles quoad essentiam, et quoad exsistentiam. Sed mutatæ sunt, et mutantur quotidie per Epicureos; earum enim conjunctione, additione, detractione, et transpositione factus est mundus, fiuntque quotidie generationes, corruptiones, cetera. Ergo sunt atomi istæ mutabiles simul, et immutabiles, quod pugnat (ax. 1. c. 1.). 3. Atomi istæ necessario omnes ab æterno exsistunt per Epicureos (§. 2. huj.). Ergo eandem debent habere essentiam, adeoque eandem figuram. Cur porro aliæ sunt sphæricæ, aliæ cubicæ, aliæ piramidales? Deinde cur aliæ agitantur, aliæ sunt in quiete? Cur aliæ solem, aliæ lunam composuerunt? nempe quia determinatæ ab aliqua caussa ipsis superiore; ergo non sunt independentes. Ergo non sunt æternæ. Ergo non sunt ens æternum. Ergo non continent rationem sufficientem omnium contingentium. Quare non solum sine ratione, verum etiam contra omnem rationem adseritur ab atomistis, atomos in se rationem omnium contingentium continere.

Inst. Atqui magna ratione adseritur ab atomistis, atomos in se rationem sufficientem omnium contingentium continere. Ergo ... Prob. subs.

Ex-

Experientia conſtat, corpora eſſe diviſibilia, atque conſtare ex atomis. Ergo atomi continent rationem ſufficientem omnium contingentium, adeoque...

Reſp. Transeat ant. quoad ſecundam partem, neg. utramque conſeq. Quum magna quæſtio ſit inter Philoſophos, num corpora naturalia ex atomis conſtent (non vero æternis, ut ſomniavit Epicurus, cum ſuis), ut volunt Gaſſendiſtæ, vel ex ſubjecto, et numero, ut volunt Pythagoræi; vel ex ſubjecto et idea, ut volunt Platonici; vel ex materia et forma, ut placet Ariſtotelæis; vel ex materia certo motu agitata, variiſque formis inſtructa, ut opinantur Cartiſtæ; vel ex punctis Zenonicis; vel tandem ex aliis: quum magna quæſtio, inquam, ſit, circa corporum principia, inter Philoſophos, ne nos in alienam meſſem falcem immittamus, jure optimo tranſmiſimus antecedens.

Verum dato etiam, quod corpora conſtent ex atomis (ut Gaſſendiſtis, et etiam Epicureis placet); ſequitur ne, eas eſſe ens æternum? Nequaquam. Nam corpora ſunt inertia. Ergo et atomi, quæ in hac hypotheſi conſtituunt corpora. Quum autem ex iſtis facta ſint corpora varia, varie modificari debuerunt atomi. Ergo vel a ſeipſis ſic diverſe determinatæ ſunt, vel ab alio, quod non ſit ex ipſis, vel tandem ab aliquo, quod ſit ex ipſis. Non a ſe ipſis, ſunt enim inertes. Non ab aliquo, quod ſit ex ipſis: 1. propter eandem rationem: 2. quia aliter una tantum atomus eſſet independens, non vero aliæ; quod

eſt

est contra hypotheſim ipſorum. Quare determinatæ ſunt ab alio, quod non ſit ex ipſis; quod vel factum est, et dependens, vel non factum, et independens. Si primum, et ipſum dependeat ab alio necesse est; si ſecundum, ipſum est ens æternum, non vero atomi Epicureorum. Ergo etiam admiſſa hypotheſi Epicureorum quoad corporum principia, non ſequitur, ipſorum atomos eſſe ens æternum. Ergo...

Objectio II.

Ens æternum debet eſſe infinitum. Sed atomi ſunt infinitæ, per Epicureos (§. 2. huj.). Ergo....

Resp. dist. maj. *entitatis*, et *virtutis*, c.; ſecus, nego: dist. min. *numero*, c., ſecus, n. min. n. conſeq. Igitur Ens æternum eſſe quidem debet infinitum, ſed infinitum entitate, atque virtute, non autem numero, ut ſunt atomi Epicureorum; per ipſos. Nam ens æternum est unum (p. 7. cap. 2.); et est infinite perfectum (cor. p. 5. c. 2.); adeoque infinitæ virtutis (ibidem). Plura autem entia infinitæ entitatis impoſſibilia ſunt (p. 6. c. 2.). Ergo ſi atomi infinitæ ſunt, jam haberi nequeunt pro ente æterno. Unum ſiquidem (p. 7. c. 2.) est ens æternum. Ergo... adeoq. (1).

Scho-

---

(1) Legatur Lactantius *de ira Dei cap. 9. &* 10. ubi perbelle Epicureorum ſyſtema confutat. Legatur item P. Rodulphus Tertro in libro, cui titulus: *Trattenimenti ſopra la Religione part. I.* e Gallico in Italicum verſus idioma.

SCHOLIUM.

Quum igitur, ex dictis, constet, nec materiam primam Aristotelis esse ens æternum (p. 2. huj.), nec atomos Epicureorum; videndum, an sit mundus hic adspectabilis: quod ut recte videamus, sit

CAPUT IV.

In quo demonstratur, mundum hunc adspectabilem, non esse ens æternum.

DEFINITIONES.

Def. I. Mundus est compages e cœlo, terraque coagmentata, atque ex his naturis, quæ inter ea continentur.

SCHOLIUM I.

„ *Mundus* (egregie D. Isidorus *lib.* 13. *Etym.* *c.* 1.) latine a Philosophis dicitur, quod „ in sempiterno motu sit: ut cœlum, sol, luna, „ aer, maria. Græci vero nomen mundo de ornamento accommodaverunt, propter diversitatem elementorum, et pulchritudinem syderum. „ Appellatur enim apud eos Cosmos (Κοσμος), „ quod significat ornamentum. Nihil enim mun-

„ do

„ do pulchrius oculis carnis aspicimus „. Hæc Divus Isidorus de origine vocabuli *mundi*.

SCHOLIUM II.

Mundus, ut modo definivimus, dicitur etiam *universus*, et *mundus magnus*. Est et alia multiplex, vocabuli *mundi*, acceptio. I. Itaque sumitur pro ipsa mente divina, in qua omnium rerum ideæ atque exemplaria continentur, et dicitur *mundus archetypus*. Confer *adnot.* 14., *et* 15. *cap.* 7. II. Pro primis elementis hujusce mundi materiam componentibus; et dicitur *mundus elementaris* (*). III. Pro substantiis cælestibus intelligentibus; et vocatur *mundus intellectualis*. IV. Pro homine, qui *mundus parvus* a latinis, a græcis vero Μικρόκοσμος *Microcosmos* (quod idem significat) nuncupatur. V. Pro cælo cum astris, et adpellatur *mundus superior*, *mundus lucens*. VI. Pro globo nostro terraqueo; atque *mundus inferior* nuncupatur.

Multiplex pariter est vocabuli *mundi* acceptio, in Scripturis Sanctis. Sumitur ergo I. pro rebus omnibus creatis, quibus hæc machina visibilis coalescit, juxta illud (*Jo.* 1.): *Mundus per ipsum factus est.... Omnia per ipsum facta sunt*. Hæc autem mundi notio, cum nostra definitione convenit. II. Pro statu præsenti, quo inter homines vi-

(*) Vide reſponſionem ad inſtantiam objectionis 1. cap. 3. ad prop. 4.

vivitur, juxta illud (*Jo.* 13.): *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo*; id est de hoc statu mortalis vitæ. III. Pro omnibus hominibus, sive bonis, sive malis, secundum illud (*Jo.* 14.): *Ut cognoscat mundus* (hoc est omnes homines) *quia diligo Patrem*. IV. Pro hominibus *mundanis* (ita vocatis, quia ea sola appetunt, quæ in præsenti vident), juxta illud (*Jo.* 17.): *Non pro mundo* (idest non pro hominibus mundanis) *rogo*.... *Non sunt de MUNDO* (idest, isti non sunt mundani) *sicut et ego non sum de MUNDO* (hoc est, non sum mundanus). V. Pro rebus, quæ in mundo sunt, et hic solum habentur, et ab hominibus mundanis concupiscuntur, ut divitiæ, honores, dignitates, similia. Hinc Divus Joannes (1. *Jo.* 2. 16.) nos instruit his verbis: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex Mundo est*. Et noster (vulgo *Beatus*) Jacoponus Tudertinus, conceptis versiculis, nos admonet (apud Waddingum *tom.* 6. *annal. ad an.* 1307. *n.* 12.) ibi:

Quam breve festum hæc mundi gloria,
Ut umbra hominis sunt ejus gaudia,
Quæ semper subtrahunt æterna præmia,
Et ducunt hominem ad dura devia.
Oh esca vermium, oh massa pulveris,
Oh nox, oh vanitas, cur sic extolleris?
Ignoras penitus, utrum cras vixeris:
Fac bonum omnibus, quamdiu poteris.
Hæc carnis gloria, quæ magni penditur,
Sacris in litteris flos fœni dicitur,

Vel

Vel leve folium, quod vento rapitur;
Sic vita hominis hac vita tollitur.
Nil tuum dixeris, quod potes perdere,
Quod mundus tribuit, intendas rapere;
Superna cogita, cor sit in æthere;
FELIX, QUI POTUIT MUNDUM CONTEMNERE.

Ast de mundi contemptu, ex professo, scripsit noster Didacus Stella, in aureo opere, *Dispregio della vanità del mondo*: liber dignissimus, qui ab omnibus, semper, præ manibus habeatur. Vide etiam Berchorium, *Dictionario Morali voc.* mundus.

Porro, in Scripturis, est etiam *mundus muliebris*; de quo vide sacros Expositores *in Esther cap.* 2. *v.* 3. *et* 9.; atque *in Ezechielem cap.* 16. *v.* 7.

Def. II. Modus est (hic) substantiæ qualitas, quæ sine ipsa substantia, cui inhæreat, ut exsistat, exstare non potest; ut quadratura, rotunditas etc. in corpore, volitio in mente, et similia. Dicitur etiam *modus*, quod ad rei essentiam non spectat, et rei tamen est adjunctum, licet substantia sit; uti sunt in homine capilli, vestes, et similia. Ast improprie quidem ista *modi* vocabulo comprehenduntur in philosophia.

SCHOLIUM.

Hinc *modificatio* est status rei, quo res ipsa, actu, modis afficitur. Duplex hic est, pro duplicitate modi. Ast vide infra, adnotat. a. huj. cap. Ceterum, tum modos, tum modificationes, innume-

meras esse, patet apud Lexicon artium, et scientiarum, art. *Modo*.

Philosophorum Sententiæ.

§. I. Mundum hunc adspectabilem esse ens æternum, de quo in antecedentibus loquuti sumus, multi ex veteribus Græcis, tenuerunt. Ex Latinis vero idem tenuerunt Plinius, et Manilius, aliique permulti ex Gentibus; qui videri possunt in Cyclopedia Anglicana, nuper (scilicet ann. 1748.) Neapoli Italice in lucem edita, vocabulo *Spinosa*.

§. II. Hujusce sententiæ excogitator fuit in primis Xenophanes, qui Deum quendam materialem, atque sphærica figura præditum, sibi fingebat, et propugnabat. Hinc permulti, mundum hunc esse ens æternum, et a se, *nunquam factum*, *nunquam periturum*, dixerunt. Verum hæc sententia multo tempore hac, illacque, sine ullius auctoris nomine, pervagavit; usquedum veniens Benedictus Spinosa, natione Judæus, moribus impius, eam restauravit; adseruitque, præter mundum hunc adspectabilem (quem, *unam substantiam infinita extensione, et cogitatione præditam esse*, contendebat) nullam aliam substantiam exstare, nec exstare posse: omnia autem, quæ in universo videntur partes, generationes, corruptiones, etc., non esse, nisi ejusdem substantiæ unicæ modificationes. Oppositum tenemus nos cum sanioribus Philosophis: quodque demonstrabimus apertissime.

PRO-

PROPOSITIONES.

Prop. I. *Mundus hic adspectabilis mutabilis est.*

D. Et I. Res hujusce universi aliæ sibi ipsis suæ mutabilitatis consciæ sunt, ut unicuique nostrum loquitur conscientiæ vox; aliæ mutabiles esse, sensuum experientia, cognoscuntur, ut est omne id, quod circa nos circumvolvi, observamus; alias porro ab istis nequaquam differre, et ratio istarum, et analogia seu similitudo nobis ostendit. Si ergo naturæ omnes, quibus mundus constat, mutabiles sunt, jam mundus ipse mutabilis sit, oportet; alias enim esset simul mutabilis, et immutabilis, quod pugnat (ax. 1. c. 1.) Ergo...

II. Non solum planetas alios mutabiles esse, et tellurem nostram, verum etiam quemcumque alium solem, sicut est noster, demonstratum apertissime est tum a Galilæo in mundi dialogis, tum a Physicis aliis recentioribus. Porro planetæ, et soles mundum constituunt. Ergo si ipsi mutabiles sunt, mutabilis est etiam mundus: alias enim esset mutabilis simul, et immutabilis, quod pugnat (ax. 1. c. 1.). Ergo...

III. Omne compositum activum, et mobile, necessario mutabile est. Jamvero quicquid de mundo *sensuum ope* cognoscimus, compositum est, activum, et mobile (patet cuique). Ergo...

Prop. II. *Mundus hic adspectabilis compositus est.*

D. Nam compositum illud est, quod partibus constat (def. 7. cap. 1.). Jamvero mundus hic

 ad-

adspectabilis partibus constat (patet cuique, et constat ex def. 1. huj.). Ergo...

Prop. III. *Omnia contingentia sunt mutabilia*.

D. Nam ens contingens, per Philosophos, illud dicitur, quod extrinsecus, et libere ita ab alio pendet, ut necessitate naturæ suæ non exsistat (def. 9. c. 1.). Jamvero, quod ab alio extrinsecus pendet, ab eodem mutari pro lubitu potest. Ergo...

Prop. IV. *Omnia mutabilia sunt contingentia*.

D. I. Siquidem mutabilia non habent in se rationem sufficientem suæ exsistentiæ; alias enim essent entia a se, adeoque immutabilia (p. 2. c. 1.); quod est contra hypothesim. Ergo non exsistunt necessitate naturæ suæ; adeoque dependent ab alio, et per consequens ab eodem mutari possunt. Sunt ergo contingentia (def. 9. c. 1.).

II. Quod non est immutabile, non est ens æternum, aliter enim ens æternum posset esse mutabile, quod pugnat. (p. 2. c. 1.). Ergo nullum mutabilium potest esse ens æternum. Quod autem non est ens æternum, non habet in se rationem sufficientem exsistentiæ suæ. Ergo est contingens. Quare...

Prop. V. *Mundus hic adspectabilis non est ens æternum* (*).

D.I. Ens a se debet esse immutabile (p.2. c.1.). Jam-

---

(1) Quis adeo rudis atque agreſtis eſt, qui non videat alium eſſe a mundo eum, per quem Mundus factus eſt? *S. Cyrillus Alexandrinus in Jo. lib. 1. cap. 10.*

Jamvero mundus hic adspectabilis non est immutabilis (p. 1. huj.). Ergo...

II. Mundus hic adspectabilis compositus est (p. 2. huj.). Quod autem compositum est, dividi potest in suas partes. Quod dividi potest in suas partes, mutabile est. Quod porro mutabile est, non est ens æternum; ens enim æternum debet esse immutabile (p. 2. c. 1.). Si ergo mundus est compositus, non est ens æternum.

III. Omnia mutabilia sunt contingentia (p. 4. huj.). Atqui mundus hic adspectabilis mutabilis est (p. 1. huj.). Ergo... Adeoque. Q. E. D.

Objectiones.

Ob. I. Omne, quod exsistit, una est, eademque independens substantia. Atqui mundus hic adspectabilis exsistit. Ergo mundus totus una est, eademque independens substantia. Ergo...

Resp. n. maj. conc. min. n. conseq. Pugnat itaque, omne, quod exsistit, unam esse, eandemque independentem substantiam.

Nam: „ Ogni cosa, che è estesa, deve necessariamente aver parti; e ciò, che ha parti, „ dev' esser composto; e siccome le parti dell' „ estensione non sussistono l' una nell' altra; ne „ siegue, che l' estensione, in generale, non è „ sostanza, o che ciascuna parte dell' estensione „ è una sostanza differente. Ora, secondo lo Spi- „ nosa, l' estensione, in generale, è un attri- „ buto della sostanza; ed egli concede, con al- „ tri Filosofi, che gli attributi della sostanza, „ non

„ non differiscono realmente dalla sostanza stessa.
„ Dunque egli deve concedere, che l' estensione
„ in generale sia sostanza, donde ne verrà in
„ conseguenza, che ciascuna parte dell' estensio-
„ ne è una sostanza particolare, il che rovescia
„ tutto il sistema „. Hucusqne Cyclopedia Anglicana (cit. §. 1. huj.) voc. *Spinosismo*.

At inquies: Spinosa non considerat differentia corpora tamquam differentes partes extensionis, sed tamquam extensionis *modificationes*.

Verum. Sed quid inde? Ergone plures, et diversæ partes, et substantiæ non erunt in rerum universitate? Haud quaquam. *Diversitatis* enim characteres, non sunt minus reales, et evidentes, quando materia divisa est in modificationes, quam quando divisa est in partes. Semper siquidem compositus erit universus, et aggregatio simplicium substantiarum. Nam modificationes talis sunt naturæ, ut nequeant sine substantia, cui inhæreant, exsistere, et eodem tempore diversæ modificationes pugnant in *una*, *eademque substantia*, consistere; alias enim eadem substantia posset esse, eodem tempore, quadrata, triangularis, cubica, etc. quod est maximum absurdum. Ergo quot diversæ, seu distinctæ modificationes (2) observantur in universo, tot sunt diversæ, et distinctæ substantiæ. Sed in universo plurimæ obser-

(2) *Modificationes*, hic, partes materiæ differentes tantum intelligimus, quæ *diversis sub figuris* continentur: nempe *corpora*, tum viventia, tum vita destituta.

servantur diversæ, distinctæque modificationes. Ergo plurimæ exstant substantiæ. Ergo omne, quod exsistit, non est una, eademque independens substantia.

Inst. Atqui omne, quod exsistit una est, eademque independens substantia. Ergo ... Prob. subs. Omne, quod substantialiter exsistit, est æternum, et a se: atqui id, quod ab æterno, et a se exsistit, non est, nisi una, eademque substantia; alias enim plures exstarent substantiæ a se, et consequenter perfectissimæ, quod pugnat. Ergo... Prob. maj. Si omne, quod substantialiter exsistit, non esset a se, et ab æterno, jam darentur, præter substantiam æternam, aliæ substantiæ, ab ea æterna productæ. Sed substantia nequit produci ab alio. Ergo ... Prob. min. Si substantia posset ab alio produci, ejus cognitio a cognitione suæ caussæ deberet pendere. Jamvero cognitio substantiæ nequit pendere a cognitione alterius. Ergo ...

Resp. Dist. maj. *semper*, n. *quando consideratur ut effectus*, c. maj. dist. min. si consideratur *in se*, conc., si consideratur *tamquam caussa*, *vel effectus*, n. min. Quare n. conseq. Omnis ergo substantia facta, non semper relationem habet ad suam caussam, sed tantum quando consideratur ut effectus. Sic considerando ego substantiam solis, ex. gr., in se (quam in hyp. suppono factam) non habet relationem ad aliam, a qua facta est. E contra vero considerata ut effectus, habet quidem relationem ad propriam caussam. Adeoque in hoc casu cognitio ejus pendet a co-

gnitione suæ caussæ, non autem in primo. Idem dicendum de caussa. Sic sol consideratus in se, quatenus est corpus lucens, ad suum effectum, nempe ad calorem nobis præstitum, nullam relationem habet: consideratus vero ut caussa caloris ad ipsum relationem habet. Igitur substantia facta dependet aliquando a cognitione suæ caussæ. Ergo potest produci, ut de facto multas substantias productas esse, contendimus. Nam pugnat mundum hunc unam esse, eamdemque substantiam. Siquidem: *Ogni cosa* (reliqua in Resp. 1. huj.). Sunt ergo plures substantiæ, et quidem mutabiles. Nam mundus hic adspectabilis mutabilis est (p. 1. huj.). Ergo et partes ejus. Si igitur mutabiles, non sunt æternæ, et a se. Nam ens æternum debet esse immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam (p. 2. c. 1.). Si ergo a se non sunt, ab alio factæ sunt. Quare multæ substantiæ ab alio productæ sunt. Ergo non pugnat, unam substantiam posse ab alio produci, ut contendit Spinosa. Quum igitur mundus productus sit, jam non est ens æternum.

Objectio II.

Mundus hic adspectabilis unica substantia est. Ergo est ens æternum. Prob. ant. Si plures exstarent in mundo substantiæ, gauderent iisdem attributis, quæ pluribus eodem tempore communia essent. Atqui repugnat, plures esse substantias ejusdem attributi. Ergo... adeoque...

Resp.

Resp. Dist. maj. *in specie*, c. *in numero*, n. maj. dist. min. *in numero*, c. *in specie*, n. min. Ergo ... n. consequentiam. Itaque plures substantias ejusdem attributi in numero pugnant in rerum natura. Nam essent plures simul, et una. Plures, ut supponeretur; una vero, quia eadem ex omni parte essent earum attributa. Verum idem simul esse, et non esse, pugnat omnino (ax. 1. c. 1.). Plures deinde substantiæ ejusdem attributi in specie non sunt incompossibiles in rerum universitate, sicuti non sunt incompossibiles plures modificationes, per eundem Spinosam. Et revera, quænam pugnantia reperitur, exstare Petrum, Paulum, Franciscum, qui conveniunt in humanitate, non conveniunt autem in individuo? Quænam item repugnantia est, exstare lapidem A, B, C, qui conveniunt in esse lapidis, in numero vero disconveniunt? Licet ergo plures substantiæ, quoad aliqua, conveniant, et sint ejusdem attributi, non fit tamen inde, plures substantias non posse exstare. Quum igitur ita sit; patet, mundum non esse ens æternum, ut somniavit Spinosa, cum aliis ejusdem furfuris Philosophis (*).

SCHO-

(*) *Cum statuam & imaginem absque fabro, & pictore fieri nullus asserere audeat* (ait Triſmegiſtus Dialogo 5.), *miram mundi hujus constructionem sine conditore constitisse putabimus? O cæcum homunculum! O nimis impium! O profundis obrutum ignorantiæ tenebris! Cave, cave, o fili mi Tati, ne unquam artificium prives ARTIFICE*. Vide Turnellinum *Cursu Theolog. Schol. Dogm. tom. 1. quæst. 5. art. unico per totum*.

SCHOLIUM.

Videndum nunc restat, an ens æternum sit Deus ille, quem sanæ mentis Philosophi tenuerunt, tenentque nunc revera exstare. Sit ergo

CAPUT V.

In quo demonstratur I. Deum, quem sanæ mentis Philosophi exstare tenuerunt, tenentque nunc, esse ens æternum, de quo in antecedentibus loquuti sumus: II. Exstare de facto Deum istum.

DEFINITIONES.

Def. I. et unica. Deus est ens æternum, omniscium, liberum, ab omni materiæ compage segregatum, in se perfectissimum, sibi ad beatitudinem sufficientissimum, universi caussa, ejusque optimus gubernator.

SCHOLIUM I.

Vocabuli *Dei* originem alii a *dando* deducunt, quod *Deus dat omnia*, tamquam bonorum omnium fons. Alii a Græco Δέος, quod *timorem* significat, tamquam sit res aliqua, cui debeatur timor. Plerique illam repetunt a Græco Θεὸς, quod Deus omnia videat, vel disponat.

Scholium II.

Divus Augustinus (*lib.* 1. *de Doctr. Chr. cap.* 6. *et* 7.) Deum definit id, *quo melius excogitari non potest*. Eandem definitionem statuit D. Anselmus (in Menologio). Eandem posuit et Cartesius (Meditat. 3.). Verum perfectior est atque clarior definitio nostra.

Sententiæ Philosophorum.

§. I. Qui Deum exsistere negaverint, consignat eos nobis Sextus Empiricus (*lib.* 8. *adversus Mathematicos*); ubi in Atheorum Catalogo recenset Diagoram, qui cognominatus fuit Ἄθεος *Atheos Atheus*, id est *negans Deos*; Malium, Prodicum, qui fuit patria Cous; Ceum Eubemerum; Theodorum; Protagoram, qui quum dixisset *non liquere sibi, utrum sit aliquis Deus*, ab Atheniensibus, ob hanc caussam, Athenarum finibus expulsus, suaque scripta combusserunt (1); et Epicurum. Aliis interim, brevitatis gratia, relictis, vosque mittens ad Thomesium in hist. Atheismi, aliosque, præsertim vero ad librum, cui titulus, *La Piazza universale* serm. 27. et Lactantium *de Ira Dei* cap. 9.

§. II. Ceterum multi, inter quos Vincentius Manilia, dubitant, num reapse exstiterint Athei ex corde. Quinimmo Clemens Alexandrinus acerrime

(1) Teſtis eſt Cic.; cujus verba vide apud Valſech. *lib.* 1. *c.* 8. §. 6. *de Fundamentis Religionis*.

rime contendit, laudatos auctores vere et proprie Atheos non fuisse ; putatque proinde , eos non alia ratione tamquam Athos habitos fuisse , nisi quia Diis popularibus spretis , unum tantummodo Numen rerum omnium conditorem , ac conservatorem agnoscerent . Vide etiam Clarissimum Genuensem Metaph. Italica part. 1. c. 2.

§. III. Id quoque in caussa fuit , cur vel ipsimet primi Christiani inter Atheos reponerentur testibus Justino Martyre , Arnobio , Minutio Felice , et Athenagora (*).

§. IV. Verum sive serio , et ex corde , sive contra, hi , qui habentur Athei, tam impium perniciosissimumque systema adoptarint , non alio certo ejus exponi potest præcipua ratio (alias rationes vide apud l'Esprit Encyclopédique art. *Athées*, tome cinquieme) præter *unam vivendi libertatem*, in Religionis, qua Naturalis, qua Revelatæ odium, rectæque tandem justitiæ divinæ unicuique, juxta opera sua, retribuentis , expulsionem , ac debellationem . De facto , *est homo omnium animalium maxime sociabilis* (*Polyanthea Lugduni impressa ann.* 1659. *voc.* Homo). Quum autem vitium, eum, in

(*) Athenagoras Philoſophus Chriſtianus Athenienſis , vivebat ſeculo II., atque in ſua , pro Chriſtianis , Apologia, directa ad Marcum Aurelium, & Commodum ait : *Quis non miretur , cum audiat , nos qui Deum Patrem prædicamus , Atheos vocari ?* Juſtinus Martyr. unam Apolog. compoſuit ſub Antonino , alteram direxit M. Aurelio Imp. in hac ſecunda habet . *Fatemur nos . . . Deorum esse Atheos , sed non verissimi Dei Patris .*

in quo est, abominabilem reddat; fit inde, ut si vitiosus conversari cum aliis velit, necesse est, vel ut vitium in se corrigat, vel ut doceat, quæ vere in se vitia sunt, vera vitia non esse. Jamvero vitium vetus, in habituali vitioso, conversum pene est in naturam. Ergo vitiosus aut vix, aut nunquam corrigi ab eo vult. Ergo omnes vitiosi demonstrare plerumque sibi arrogant, vitia sua, vera vitia non esse. Quod fieri non potest, nisi Deum, omnemque legem, suis vitiis oppositam, negent (*). Contra istos aperte demonstrabimus, Deum revera exstare.

Axiomata.

Axioma I. *Ex nihilo, nihil, vi sua, fieri potest.*

D. Nam, si ex nihilo aliquid, vi sua, fieri posset; jam nihil operaretur; adeoque exsisteret (ax. 3. c. 1.), quod est absurdum, et non esset amplius nihil (def. 6. c. 1.); quod est contra hypothesim.

Axioma II. *Ex imperfectiori fieri nequit perfectius.*

D.

(*) Ecquiſnam, hodie nepotum iſtorum impiorum, & perditorum hominum, artes, edicere & explicare, ſufficit? Nunc enim fronte conſtricta, nunc explicita, nunc urbana, nunc perfricta, venena evomunt ſua.

D. Patet. Nam si ex imperfectiori perfectius fieri posset, fieret ex nihilo; quod pugnat (ax. ant.).

SCHOLION.

Axioma hoc congruit cum illo trito Metaphysicorum: *Nemo dat plus, quam habet*. Nam si alio sensu intelligatur, falsum statim reperitur. Sic supposita caussa exteriore, ex imperfectiori subjecto fieri quidem potest aliquid perfectius; ut ex lana vestis; ex liquefacto argento denarius; et similia.

PROPOSITIONES.

Prop. I. *Deus est ens a se, de quo in antecedentibus loquuti sumus*.

D. I. Nam, quod est perfectissimum, est ens a se (p. 12. c. 2. et pro sch. 2. p. cit.) Atqui Deus est perfectissimus (def. 1. huj.). Ergo...

II. Quod nullam habet sui caussam est ens a se (patet). Sed Deus nullam habet sui caussam (est siquidem æternus def. 1. huj.). Ergo...

Prop. II. *Exsistit Deus, quem exstare tenuerunt, tenentque nunc sanæ mentis Philosophi*.

D. I. Deus est ens a se, seu ens æternum (p. ant.) atqui exsistit ens a se, seu ens æternum (p. 5. c. 1.). Ergo...

II. Exsistit mens, res nempe cogitans, potens, electiva, imperans (ex intima conscientia). Quum vero ex nihilo nihil fiat (ax. 1. huj.), ne-

neque ex imperfectiori perfectius (ax. 2. huj.), neque sit possibilis series entium contingentium sive finita, sive infinita, sine ente æterno, in quo sit eorum ratio (p. 6. c. 1.), esse debet mens aliqua æterna; et quia æterna, necessaria, et infinitæ entitatis, in qua sit mentis nostræ ratio sufficiens, quam Deum vocamus. Ergo...

Scholion.

Sed inquit aliquis: Ita quoque efficere possemus exstare materiam æternam. Nam exsistit materia, eaque non a nihilo (ax. 1. huj.), neque ex non materia, neque ex infinita serie. Ergo æterna. Verum respondemus, longe disparem esse hanc rem a priori illa. Posita siquidem mente æterna, reperiemus in ea rationem sufficientem materiæ. At sublata mente, et posita æterna materia, in nulla alia re reperire poterimus rationem mentis nostræ exsistentis.

III. Magna hæc universi machina tot parvis machinulis structa est, quæ ordine admirabili compactæ sunt, et conservantur, unumque perfectum, et harmonicum constituunt, ut nisi sapientissima quædam, et potentissima caussa partes ejus omnes ordinaret, moveret, conservaret, procul dubio in chaos abirent, quum nulla machinularum sit, ex infinitis, quibus constat mundus, quæ non possit infinitis aliis modis, cum aliis, colligari, ac modificari. Quum igitur hujusce universi partes hoc ordinatum, et compositum conservent; itaut non abeat in chaos, dicendum, eas rectas non

non esse, nisi a sapientissima caussa (*), quæ independens omnino sit, et perfectissima, quam *Deum* vocamus. Exsistit ergo Deus, quem sanæ mentis Philosophi tenuerunt, tenentque nunc etc. (1).

Objectiones.

Obj. I. Illius entis, cujus nos ideam non habemus, exsistentia monstrari non potest; atqui de Deo nullam ideam habemus. Ergo ... adeoq. Prob. min. Mens nostra, utpote finita, infiniti ideam habere non potest. Sed Deus est infinitus et perfectissimus. Ergo mens nostra nequit ideam de Deo habere. Adeoque ...

Resp. Dist. maj. habere non potest *ideam positivam*, conc. *negativam*, nego. Conc. min. nego conseq. Igitur duplici modo cognosci a nobis potest infinitum, *positive*, scilicet, et *negative*. Positive quando cognoscimus omnia, et singula, quæ in eo sunt; negative autem, quando novimus, per-

(*) Tanta hæc formarum varietas, atque numeroſitas (*ait S. Bernardus serm.* 31. *in Cant.*) ſpecierum, in rebus conditis; quid, niſi radii ſunt deitatis? monſtrantes quidem, quia vere ſit, a quo ſunt.

(1) Legatur libellus F. Gaetani Mariæ de Bergamo, cui titulus: *La cognizione di Dio impressa nella mente dell' uomo*. Alia de exſiſtentia Dei argumenta, & quidem lectu digniſſima, vide apud l' Eſprit de l' Encyclopedie *tom.* 6. *art.* Dieu; & *tome* 5. *art.* Athees. Legatur P. Antonius Celeſtri, in *Christiana catholica Relig. contra Gentiles &c. propositione* X.

perveniri non posse ad ultimum attributorum, quæ enti illi infinito et perfectissimo conveniunt. Fac, ex. gr., aliquem funem, centum palmos longum, esse distentum, in aperto loco, ante oculos Petri; is certe videt, et positive noscit totum funem, quia singulos palmos ante oculos habet. At si Petrus sit in cubiculo, et pars funis intra idem, pars maxima pertingat extra, subducta ab oculis Petri, hic totam funis longitudinem negative cognoscit, quatenus non novit singulos palmos, et quot in eo sunt, sed hoc unum, funem intra cubiculum non terminari, quod est idem ac de eodem *ideam negantem* habere. Quo posito, dico, nos ideam positivam non habere entis æterni, et perfectissimi, eo quod mens nostra finita, omnia infinita attributa, quæ in eo sunt, percipere nequit; habere tamen ideam negativam, quia ultra ea paucissima, quæ de Deo cognoscimus, attributa, cognoscimus pariter, ipsum alia infinita attributa habere, ad quorum singulorum cognitionem mens nostra pervenire non potest. Jamvero hæc idea negativa sufficit ad Dei existentiam demonstrandam. Ergo nihil contra nos Hobbesius, cujus hæc est objectio (in Leviath. c. 3. pag. 12.) (*).

Inst.

(*) Deus, in ſe & realiter, & ſimpliciſſimus, ipſemet, de ſe, ob eminentiſſimum & perfectiſſimum ſuum cognoſcendi modum, *simplicissimam* habet ac *perfectissimam ideam.* Nos quoque ſimpliciſſimam, licet confuſam, de ipſomet, ideam habemus, quum præciſe ut in ſe eſt, eum percipimus. At quum illum percipimus tamquam *objectum nostræ cogni-*

tio

Inst. Atqui ex eo quod solam ideam negativam de Deo habemus, ejus exsistentia monstrari non potest. Ergo ... Prob. subs. Ens, cujus nos solam ideam negativam habemus, ratione habita nostræ cognitionis, est ens negativum, seu non ens. Atqui de ente, habita ratione nostræ cognitionis, negativo, non potest demonstrari exsistentia. Ergo ... Prob. min. Ostendi non potest attributum positivum convenire posse enti negative cognito. Atqui exsistentia est attributum positivum. Ergo.

Resp. Dist. maj. enti pure *negative* cognito, conc. partim *negative* partim *positive* cognito, neg. maj. conc. min. n. conseq. Itaque Entis pure negative cogniti exsistentia monstrari non potest. Nam ens pure negative cognitum est idem, ac nihil. Atqui nihilo nequit competere exsistentia (def. 6. c. 1.). Ergo nec enti pure negative cognito. Adeoque entis pure negative cogniti exsistentia monstrari non potest. Verum peroptime demonstrari potest exsistentia entis partim *negative*, partim *positive* cogniti. Siquidem, ens partim *positive* cognitum, et partim *negative*, exsistit; nam alias esset idem, ac ens pure negative cognitum. Præterea constat alla-

---

tionis, ob imperfectum noſtrum cogitandi modum, aliter accidit. Conf. adnotat. ſequentem. At in utroque caſu ſemper verificatur, nos de Deo, ideam partim *poſitivam*, partim *negativam* habere, adeoque ejuſdem Dei exſiſtentiam cognoſcere, ac demonſtrare poſſe. Similiter, rerum *ideæ & cognitio* una ſimpliciſſimaque in Deo eſt. Aſt ſecus nobis concipitur (vide adnot. ad reſp. a. prop. 7. cap. 7.) ut objectum noſtræ cogitationis.

allato exemplo (resp. ant.). Nam sicuti Petrus ex illo fune, quem intra cubiculum noscit, concludit, et funem ipsum exsistere, et alia ejusdem attributa cognoscit, ita ex quo partim *positive*, et partim *negative* nos cognoscamus aliquod ens, concludere poterimus, ipsum exstare; ergo peroptime demonstrari potest exsistentia entis partim *positive*, partim *negative* cogniti.

Inst. Deus concipi nequit idea partim negativa, partim positiva. Ergo... prob. subs. Deus aut cognoscitur totus; aut nullo modo. Ergo... prob. ant. Quod est simplex, aut totum cognoscitur, aut nullo modo. Atqui Deus est simplex. Ergo.

Resp. Dist. maj. quod est simplex *ratione objecti*, conc. maj. quod est simplex *ratione entis*, *non ratione objecti*, n. Igitur duplici modo ens simplex a nobis cognosci potest, et quatenus est ens, et quatenus est objectum nostræ cognitionis. Primo modo inspectum ens simplex, utique totum cognoscitur, aut nullo modo; sed consideratum quatenus objectum cognitionis est, nisi valde finitum sit, nequaquam verificatur illud *aut totum cognoscitur, aut nihil*. Rem exemplo illustramus. Suppone genus aliquod, ex. gr., trianguli, hoc ratione entis consideratum, aut totum cognoscitur, aut nihil; aut siquidem cognoscimus genus quoddam figurarum triangularium, aut non, seu nullo modo. Verum consideratum ratione objecti, jam percipimus in ipso genere contineri tot trigonorum species, et sub istis speciebus trigonos infinitos, qui percipi a nobis possunt partim *positive*, partim *negative*, centum scilicet eorum,

 vel

vel biscentum *positive*, alii vero, usque in infinitum, *negative*, ut attendenti patet. Ergo ens simplex *ratione entis*, aut totum cognoscitur, aut nihil, *ratione* vero *objecti*, peroptime partim *positive*, partimque *negative* cognosci potest. Quum igitur Deus simplex non sit ratione objecti (*), sequitur, ipsum cognosci a nobis posse partim positive, partimque negative. Habere igitur possumus, ut de facto habemus, aliquam de Deo ideam; adeoque possumus ejus exsistentiam demonstrare, et de facto demonstravimus. Exsistit ergo Deus, quem etc.

Objectio II.

Recte examinatæ demonstrationes exsistentiæ Dei, sunt demonstrationes per effectus. Sed Dei exsistentia per effectus demonstrari non potest. Ergo demonstrari nequit exstare Deum. Ergo non exstat Deus. Prob. min. Deus est ens necessarium; est

(*) Deus itaque, inſpectus *ratione entis*, eſt ſimpliciſſimus: At conſideratus *ratione objecti*, juxta nempe noſtrum cognoſcendi ſeu cogitandi modum, non eodem modo res ſe habet. Nos enim, utpote qui mente ſinita præditi, in Dei *idea*, quam habemus, perſpicimus ejus *essentiam* (quatenus nobis cognoſcibilis), *independentiam*, *immensitatem*, *bonitatem*, *justitiam* &c. Hinc objectum ſeu notio Dei in nobis ſecundum noſtrum concipiendi & intelligendi modum non eſt ſimplex, uti eſt ipſe Deus in ſe, ſed innumeros includit conceptus, juxta proprietates diſtinctas, quas in ſenſu catholico, ſecundum Scotiſtas, & Thomiſtas, perſpicimus in ipſo Deo: ex quibus aliquas, ſine alijs cognoſcere poſſumus.

est enim æternus (def. 1. huj.); effectus vero seu creaturæ sunt contingentes. Jamvero ens necessarium demonstrari nequit per entia contingentia ; ergo Deum exstare demonstrari nequit per entia contingentia, idest per effectus , adeoque non exsistit Deus.

Resp. C. maj. n. min., n. consequentiam. Utique Deus ens est necessarium. Nam Deus est ens a se (p. 1. huj.). Ens a se est immutabile quoad essentiam, et quoad exsistentiam (p. 2. c. 1.). Ergo Deus est ens necessarium; aliter enim mutari posset, quod est absurdum (p. cit.). Creaturas porro esse contingentes , constat cuique nam non sunt a se (ex hyp.). Ergo sunt mutabiles ; aliter enim essent necessariæ ; adeoque independentes, et a se, quod pugnat (ex hyp.) si igitur sunt mutabiles, sunt per consequens (p. 4. c. 4.) contingentes. Ex entibus deinde contingentibus, peroptime demonstrari potest , exstare ens necessarium. Nam contingentia vel sunt ab alio facta, vel non. Non esse ab alio facta , est contra hypothesim. Sunt igitur facta ab alio. Quum autem series entium contingentium sive finita , sive infinita, pugnet, absque ente æterno , in quo sit eorum ratio (p. 6. c. 1.); sequitur, quod si dantur contingentia, dari debet ens æternum , et necessarium. Ergo ex entibus contingentibus peroptime demonstrari potest exstare ens necessarium. Quum igitur id sit Deus (prop. 1. huj. cap.); sequitur necessario, et indubitate, Deum exstare.

Inst. Atqui ex contingentibus demonstrari ne-

 quit

quit exstare ens necessarium, seu Deum. Ergo... prob. subs. Medium demonstrationis debet esse necessarium. Atqui entia contingentia medium necessarium esse non possunt. Ergo.

Resp. D. maj. vel *absolute*, vel *hypothetice*, c. necessarium *absolute* n. maj. dist. min. *absolute*, conc., *hypothetice*, n. min. quare n. cons. Itaque medium demonstrationis vel *absolute*, vel *hypothetice necessarium* esse debet, uti constat ex Logicis. Porro entia contingentia medium absolute necessarium demonstrationis entis necessarii esse non possunt; possunt enim exsistere, vel non exsistere. Verum possunt peroptime esse medium *hypothetice* necessarium. Siquidem ex hypothesi, quod exsistunt, necessariam relationem, et connexionem habent cum ente necessario. Uti evidenter patet ex supradictis (resp. ant. et demonstr. p. 1. c. 1.). Igitur

Est Deus utique, spectat idemque omnia (*).

SCHOLIUM I.

Est igitur Deus ens a se (p. 1. huj.). Quicquid igitur enti a se convenit, convenit Deo. Ergo conveniunt Deo ea, quæ continentur in Scholio p. 12. c. 1. Vide igitur ibi.

SCHO-

(*) Ad majorem noſtræ theſis, de exſiſtentia Dei firmitatem, multum juverit legere, quæ multa, contra Atheos, habet Nonnottus in *Diction. Relig. art.* Ateo.

SCHOLIUM II.

Ostendimus deinde (p. 5. c. 4.), mundum hunc adspectabilem non esse ens æternum , seu ens a se. Omne autem, quod ab æterno non est, factum sit ab alio, necesse est. Mundus ergo ab alio factus est. Verum, ut clarius res pateat, sit

---

CAPUT VI.

In quo demonstratur I. Mundum suimet ipsius caussam non fuisse. 2. Productum non fuisse a nihilo vi ipsiusmet nihili. Quare 3. productum fuisse ab aliquo extra se. 4. Productum non fuisse ab alio, præterquam ab ente a se, scilicet a Deo. 5. Deum esse caussam effectricem mundi hujus adspectabilis.

DEFINITIONES.

Def. I. Caussa est id, cujus vi aliquid fit, vel ex qua aliquid procedit (*): sic sol, ex quo lux procedit, dicitur lucis caussa.

(*) In Deo duplex, a Theologis, cognoſcitur *proceſſio*, una *immanens*, qua, in ipſo Deo, una perſona originem ducit ab altera; alia *transiens*, qua Deus, extra ſe, creaturas produxit. Prima, Deus non eſt *caussa*: altera autem vere & proprie *caussa* eſt. Hoc nos, non illo ſenſu, hic uſurpamus verbum *procedere*, quoad Deum.

Def. II. Caussa prima dicitur illa, quæ ubique, et sua intrinseca vi, atque independenter operatur, quo sensu solus Deus dicitur prima caussa.

Def. III. Caussa secunda est illa, quæ suam vim, et facultatem operandi habet a prima caussa. Hujusmodi sunt creaturæ omnes.

Scholium.

Scholastici dividunt caussam in *efficientem*, *materialem*, *finalem*, *formalem*, et *exemplarem* (1).

Def. IV. Caussa efficiens est illa, quæ est capax producendi aliquid: ut sol capax est producendi lucem.

Def. V. Caussa materialis est subjectum illud, supra quod aliquod agens operatur, vel ex quo aliquid formatur; ita marmor est caussa materialis simulacri, seu statuæ.

Def. VI. Caussa finalis dicitur illa, cujus gratia aliquid fit: sic victoria, et pax sunt caussæ finales belli.

Def. VII. Caussa formalis est mutatio illa, quæ fit ex actione, vel est illa, quæ determinat rem aliquam, ut sit talis, et sit ab aliis distincta: sic

(1) Quidam Auctor hæc quinque cauſſarum genera, ad majorem legentium claritatem, ita breviter conſtringit „. L' „ *efficiente*, inquit, ſi chiama *id unde*, un certo che d' on„ de, come il fine, o *finale* cagione chiamaſi *propter quod*, „ per la quale: l'*esemplare*, *ad quod*, quella alla quale, „ la *materia*, *ex quo*, quella, dalla quale, e la *forma*, „ *per quod*, quella, per la quale „.

sic anima dicitur caussa formalis, seu forma hominis.

Def. VIII. Est etiam caussa physica, et moralis. Physica, seu naturalis est illa, quæ aliquem corporeum sensibilem effectum producit; sic sol est caussa physica lucis suæ, et caloris. Moralis autem est illa, quæ realem quidem effectum producit, sed in rebus immaterialibus; hoc sensu pœnitentia est caussa moralis remissionis culpæ.

Scholium I.

Definiunt alii caussam physicam alio modo, ut caussa physica sit illa, quæ effectum producit per vim physicam; et moralis, quæ actionem physicam determinat, licet non necessario, ut effectus producatur; quo sensu dicitur etiam caussa *dispositiva*, *excitativa*, et *imputativa*. Sic sol est caussa physica lucis; lapis, qui cranium frangit, est caussa physica mortis: ita quoque consilia, preces, jussiones, et minæ, quæ nos determinant ad aliquod faciendum, vel omittendum dicuntur *caussæ morales*. Hoc in sensu *caussa moralis* est solum agentium liberorum, et intelligentium.

Scholium II.

Tandem caussa *æquivoca* dicitur, si diversæ speciei ac denominationis est a suis effectibus; hoc sensu sol est caussa animalium, quæ ipse producit. Dicitur *instrumentalis*, si adhibita est a causa principali ad effectum producendum, vel si ultra

ultra sui potentiam excitatur ab alia ad operandum. Dicitur *principalis*, si instrumentum moveat ad aliquem producendum effectum. *Partialis*, si concurrat cum alia, ad alicujus effectus productionem. *Universalis*, si cum omni suæ potentiæ extensione, omnes possit producere effectus. *Particularis*, si unicum tantum potest producere effectum, vel unicam tantum effectuum speciem. *Univoca*, si ejusdem speciei, ac denominationis est cum suo effectu, ut homo dicitur caussa hominis. *Totalis*, si totum producat, ipsa sola, effectum. *Occasionalis* tandem, si non producat ipsa effectus, sed tantum occasionem præbeat ad sui effectus productionem. Ad hoc tantum caussarum genus reducunt Cartesiani omnes caussas physicas. Verum de hoc fusius infra.

Def. IX. Effectus est id, quod a caussa aliqua producitur; sic vapores sunt per Newtonianos effectus attractionis solis.

PHILOSOPHORUM SENTENTIÆ.

§. I. Mundum a nullo alio extra se productum fuisse, asseruere illi omnes, qui mundum ens æternum esse, et independens adfirmarunt; quos omnes vide supra (§. 1. et seq. cap. 4.).

§. II. Epicurus, qui nullum agnoscebat Deum, effectricem mundi caussam, in fortuito atomorum æternarum concursu (§. 2. c. 3.) constituit. Verum, quum id falsissimum omnino esse, jam supra (c. 3.) demonstraverimus, nihil de ea sententia inpræsentiarum soliciti erimus.

§. III.

§. III. Omnes denique illi, qui Deum exstare negant, mundum a Deo productum non fuisse, contendunt.

§. IV. Mundum tandem a Deo creatum non fuisse, sed ab Angelis, contenderunt Simon Magus patria Samaritanus, Cerinthus, Menander, Saturninus, aliique Hæretici, quos *Archonticos* vocant B. Augustinus (1), et S. Epiphanius (2). Verum contra istos exstant Theologi, præsertim vero doctissimus noster Bartholomæus Durand (3), quocum, et cum Catholicis omnibus, et cum Hebræis nos mundum a Deo immeditate creatum esse, contendimus: quod evidenter demonstrabimus.

Propositiones.

Prop. I. *Mundus esse non potuit suimetipsius caussa.*

D. Nam antequam seipsum produxisset, exsistere non poterat (hyp.). Si igitur non exsistebat, non poterat seipsum producere; quia aliter non exsistente, operatus fuisset, quod pugnat (ax. 2. c. 1.). Ergo...

Prop. II. *Mundus hic adspectabilis productus non fuit a nihilo vi ipsiusmet nihili.*

D. Nihili enim nullæ sunt proprietates, et attributa (def. 6. c. 1.). Ergo nec exsistentia ipsi com-

(1) Lib. de Hæres. *Cap.* 20.
(2) *Heres.* 23.
(3) *Fide vindicata lib.* 1. *art.* 20.

competit. Si ergo quando mundus factus est, ipsum nihil non exsistebat, jam non potuit mundum vi sua producere, aliter enim operatum fuisset, et non exstitisset: quod pugnat (ax. 2. c. 1.). Ergo...

Prop. III. *Mundus productus fuit ab aliquo*.

D. I. Nam omne ens vel a se est, vel ab aliquo factum, non enim adest medium; sed mundus non est ens a se (p. 5. c. 4.). Ergo est factus ab alio...

II. Mundus esse non potuit suimetipsius caussa (pr. 1. huj.); nec productus fuit a nihilo, vi ipsiusmet nihili (pr. 2. huj.). Ergo ab alio productus fuit.

Prop. IV. *Mundus hic adspectabilis productus non fuit ab alio, præterquam a Deo*.

D. Etenim si productus fuisset ab alio, præterquam a Deo, non haberet rationem exsistentiæ suæ in Deo. Quare vel haberet in seipso, vel in alio ente pariter contingenti. Non in seipso, quia aliter esset ens a se (def. 3. cap. 1.); adeoque Deus (p. 1. c. 5.), quod pugnat (p. 5. c. 4.), et est contra hypothesim; supponimus siquidem, mundum ab aliquo productum fuisse (p. 3. c. 6.). Nec potest rationem habere in alio contingenti; quia eadem de isto alio esset interrogatio, et eadem de alio. Jamvero series entium contingentium sive finita, sive infinita, sine ente æterno, in quo sit eorum ratio, omnino repugnat (p. 6. c. 1.). Quare nullum contingentium potest habere rationem exsistentiæ suæ extra Deum. Jamvero mundus hic contingens est;

est

est enim factus (p. 3. c. 6.). Ergo nec ipse potest habere rationem suæ exsistentiæ, præterquam in Deo. Quapropter a nullo alio potuit produci, præterquam a Deo: Ergo ...

Prop. V. *Caussa effectrix mundi hujus adspectabilis est Deus.*

D. I. Mundus siquidem productus fuit ab aliquo (p. 3. huj.). Ergo vel a Deo, vel ab alio, præterquam a Deo, productus fuit: non ab alio, a Deo diverso (p. ant.). Ergo ab ipso Deo. Quare ....

II. Illa est caussa effectrix hujusce mundi, quod ipsum produxit. Atqui Deus illum produxit (p. ant.) ergo ... q. e. o.

SCHOLIUM.

Caussa igitur efficiens, et productrix mundi hujus non est, nisi Deus. Videndum modo, quonam modo illum, producendo, produxit;

CA-

CAPUT VII.

In quo demonstratur 1. Mundum productum fuisse a Deo per creationem; 2. adeoque actu voluntatis suæ. 3. creasse illum libere. 4. prius in se concepisse, et postea illum produxisse in tempore sibi placito.

Definitiones.

Def. I. Creatio est productio rei ex nihilo sui, et ex nihilo subjecti.

Def. II. Dispositio est motio illa rerum, qua ipsis diversa datur positio, vel aer diversus, vel diversa figura exterior, vel temperatura interior diversa: ut incisio marmoris a sculptore, qui statuam producit; et collocatio colorum a pictore, qui aliquam format picturam.

Def. III. Productio est eductio alicujus intrinsecæ formæ, ex aliqua disposita materia. Sic plantæ productio ex semine, eductio ignis ex ligno, *productio* proprie vocatur.

Def. IV. Emanatio est actus, quo aliquid ab aliqua origine fluit, vel procedit: hujusmodi est effluxio lucis a sole (1), effluxio effluviorum a corporibus odoris, et similia.

Scho-

(1) In hypotheſi nempe, quod lux ſolis ſit aſperſio quædam, ut ita dicam, ſubſtantiæ ſubtilioris corporis ſolaris, uti eſt fumus reſpectu lignorum, quæ comburuntur.

SCHOLIUM.

Emanatio porro vel *substantialis* est, vel *caussalis*. Substantialis dicitur ille actus, quo aliquid ab aliqua origine substantialiter fluit; adeoque est pars illius, a quo effluit: sic solis lux per hujusmodi emanationem procedit ab ipso sole. Caussalis autem est actus ille, quo aliquid ab alia caussaliter procedit; adeoque non semper participat de eo, ex quo producitur. Hoc autem sensu accipitur emanatio pro quocumque genere caussarum. Itaque hoc secundo sensu nos recte dici possumus emanatio Dei; a Deo enim, tamquam a caussa efficienti creatrice producti sumus de nihilo. Verum inpræsentiarum loquimur de emanatione *substantiali*, non vero de *caussali*.

Def. V. Actus est exercitium effectivum, vel applicatio alicujus potentiæ ad aliquid producendum, gignendum, etc., sic præsens applicatio potentiæ visivæ, ex. gr. ad hæc scripta, dicitur actus legendi.

SCHOLION.

Dividitur autem actus a Metaphysicis in *finitum*, et *infinitum*, *immanentem*, et *transeuntem*. Actus finitus ille dicitur, quo aliquid tum in se, tum in sua productione finitus est; sic actus, quo corpus B, ex. gr. moveo, finitus dicitur. Infinitus vero dicitur, qui vel in se est infinitus, quatenus una vice superat distantiam infinitam, ut in creatione est actus Dei; vel una vice res producit

ducit infinitas; ut si Deus unico ictu omnia omnino possibilia produceret. Immanens est quædam qualitas producta ab agente, et recepta in ipsomet agente, hujusmodi sunt intellectio, et volitio in intellectu, et voluntate. Transiens autem est quædam qualitas, sive respectus extrinsecus productus ab agente in passo; ut motus productus a movente in mobili.

Def. VI. Voluntas est appetitus rationalis, ac libertati parens.

SCHOLION.

Quum autem libertas sit quædam mentis facultas, qua pro libito agere, vel non agere potest, hoc potius, vel alio modo; sequitur distinctionem, quam Philosophi quidam faciunt voluntatem inter, et libertatem non esse sine fundamento, et ratione. Verum promiscue eas usurpare, non abs re erit, quum Philosophi alii eas confundant, licet eas distinguere melius sit; præsertim quum voluntas non sit, nisi quidam libertatis actus, seu effectus (*).

Def. VII. Potentia est vis, seu facultas agendi, ut vis cogitandi.

SCHO-

(*) De *libertate* vide Fortunatum a Brixia *system. Jansenisi parte* 1. *num.* 10. *usque ad* 27. Et eundem auctorem *ibidem a num.* 1. *ad* 10. *ubi de necessitate*.

SCHOLIUM.

Et id nomine potentiæ in rerum præsentia intelligimus. Ceterum potentia generatim inspecta est id, quo aliquid vel operandi capax est, vel recipiendi aliquam impressionem. Hinc duplex est I. *activa*, quam *operativitatem* vocant Philosophi scholæ, et est efficacia, vel facultas alicujus rei, qua mediante, aliquid producitur. II. *Passiva*, sive *receptativa* vel *subjectiva*, est capacitas recipiendi aliquem actum.

PHILOSOPHORUM SENTENTIÆ.

§. I. Multi ex antiquis Philosophis tenuerunt, mundum factum quidem a Deo, sed non per creationem, quam possibilem non esse credebant, verum potius per dispositionem, vel per productionem, vel per conformationem tantum. Ajebant namque isti, materiam Deo coæternam fuisse, nempe increatam, et a se, ex qua Deum produxisse mundum adfirmabant (2). Hujusce sententiæ fuerunt Plato, Stoici, Cicero; idem videtur sentire Cotta apud Lactantium. Idem voluerunt Seleuciani, et Hermiani Hæretici (ex Seleuco, et Hermia Galatis exorti); hoc ipsum Hæ-

(2) Legatur D. Baſilius *Hex aemeron homil.* 2. & Cornelius a Lapide in verſum 1. cap. 1. Geneſ.

Hæretici Albanenses docuerunt, aliique (3). Nos vero oppositum demonstrabimus.

§. II. Ad creationis possibilitatem negandam ducebantur isti ex eo, quod nullimode intelligere poterant, quonam modo res ex puro nihilo ad exsistentiam actualem produci potuissent. Et quoniam *modum* etiam, quo res ab exsistentia actuali in nihilum abire poterant, capere nullimode poterant; ideo, etiam præsupposita infinita quacumque potentia, adnihilationis quoque possibilitatem negabant. Unde vulgare illis erat:

De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti (4).

§. III.

---

(3) Jacobus Rouſſeau perſricta fronte adſerit (apud Valſechium *de Fundamentis Relig. lib. 3. p. 3. c. 3.*) ejuſdem impiæ ſententiæ fuiſſe antiquos Eccleſiæ Patres, præſertim Juſtinum Martyrem, Origenem, Clementem Alexandrinum. Verum quam falſum id ſit, pluribus patefecit Clariſs. Valſechius *loc. cit.*

(4) I. Hinc quidam Philoſophi tentare non prætermiſerunt *modum creationis* nobis clarare. Verum, pro obſcuritate ſolvenda, vel eandem iterum implicatam reliquerunt, vel in abſurda abhorrenda inciderunt. Sic Origenes hoc in negotio ita ſe geſſit. Aſſeruit ſiquidem, ex Dei natura, lumen effluxiſſe tenuiſſimum, puriſſimumque, quod, quo plus ab ipſa Dei natura recederet, eo denſius, & craſſius evaderet, uſquequo ad eam pervenerit ſoliditatem, craſſitudinemque, quam communiter omnia corpora habere notum eſt. Sic ſecundum Platonicum Philoſophum fieri conſtat creatio. Verum quis non videt putidiſſimum id eſſe abſurdum? Primo enim ſequitur, Deum eſſe materialem. Siquidem effluxit & ejus natura materia mundi. Ergo eſt ejuſdem naturæ, ac Deus ipſe, & viciſſim. Deus ergo eſt materialis ſicuti mundus. II. Mundum, omnemque creatam materiam eſſe partem ipſius Dei; adeoque III. eſſe Deum ipſum; quod apertiſſime in

§. III. Alii porro, mundum factum a Deo adfirmarunt per substantialem emanationem, sicuti Aranea e sinu suo telam evomere solet. Istius sententiæ Indos Philosophos fuisse traditur. In eundem errorem incidit Origenes.

§. IV. Deum non produxisse libere mundum, docuerunt Stoici, aliique, qui Deo O. M. libertatem negarunt.

in Pantheiſmum inducit. IV. Mundum non per creationem productum fuiſſe a Deo, ſed per ſubſtantialem emanationem, quod, quam abſurdum ſit, videbimus infra. Hæc itaque aliaque horriſona, ex opinione Origenis, ſequuntur. Quare abhorrenda, & rejicienda eſt.

II. Etiam Chriſtianus Wolphius in hac re acutus apparere voluit. Verum, pro rei difficultate levanda, eam potius auxit. Ait quippe, Deum primum creaſse quædam ſimplicia, inextenſa, & activa elementa; ex iſtis porro corpora conflata fuiſſe, exiſtimavit. Sed interrogemus ipſum, quomodo ne Deus illa prima elementa creavit? Et en quod præclariſſime reſpondet: *Creavit.* Quod num quæſitum enucleet, videant eruditi. Præterea, quomodo ex ſimplicibus corpora conflata ſunt? Non dicimus, id fieri non poſse, ſed ipſum interrogamus *de modo* tantum, quo ex ſimplicibus conflata ſunt compoſita: cui reſpondet nil aliud, quam: *conflata ſunt.* Et en totam difficultatem in ſuo ſtatu priori. Nihil ergo circa id dixit Wolphius.

III. Videamus tandem Joannes Lockii ſtrenuitatem. Iſte rem ſic explicat. Datum ſit ſpatium incorporeum, & æternum, quod multi, graviſſimique Philoſophi admiſerunt. Poteſt huic ſpatio ſoliditas a Deo conjungi, & ita materiam creatam eſse, concipitur; quid de facto eſt aliud materia, niſi *quoddam ſolidum extenſum, ac diviſibile?* Verum & hic rem in profundo reliquit. Spatium ſiquidem ſubſtantia non eſt, nec accidens, ut & ipſe ſupponit Lockius. Ergo addendo, Deus huic incorporeo ſpatio *ſoliditatem*, quid aliud ſe-

§. V. Petrus Bælius, Atheus jam professione, negat, actum voluntatis cujuscumque Dei infiniti, capacem esse producendi aliquid ex nihilo. Nos vero oppositum pro aris, et focis contendimus, licet modum, quo id fiat, ignoremus.

§. VI. Fertur, Milord Bolingbrock adserere quidem, mundum creatum fuisse actu simplicissimo voluntatis Dei, sed negare, Deum prius in se, ipsum mundum concepisse (liceat his uti vocabulis) ac delineasse, sicque cum omni consilio operatum fuisse. O Deum immortalem! Ecquid aliud est voluntas, nisi effectus, seu consilium rationis (5)?

Ax.

feciſset, niſi eam ſoliditatem extenſam, & diviſibilem (quod idem eſt, ac materia) ex nihilo creare? Nunc petimus ab ipſo viro, ecquomodo eam ſoliditatem creavit, conjunxitque eandem cum incorporeo vacuo? *Adjungere potuit*, inquit. Hoc porro *adjungere* aliud eſse non poteſt, quam *creare*; aliter enim ſupponeretur exſiſtens *soliditas*, & non eſset illa, niſi pura conjunctio; non autem *vera creatio*, quod eſset contra hypotheſim ſermonis ſui; quia loquitur *de creatione vera*, *&* *proprie dicta*. Quare, quum non ſignificet, quomodo illam ſoliditatem conjungere poſſit Deus cum vacuo, non ſignificat pariter, quomodo fiat creatio.

IV. Ergo fateri debemus, *quonam modo creata sit materia*, captum noſtrum omnino ſuperare. Dummodo tandem ſciamus, ipſam non poſse eſse æternam, quod, ex eis proprietatibus, facillime attendenti, cognoſcitur; nihil de reliquo ſoliciti ſimus. *Opera ipsius* (Dei), ait Lactantius de *Orig. erroris cap. 9.*, *videntur oculis: quomodo autem illa fecerit, ne mente quidem videntur.... Sciat igitur quam inepte faciat, qui res inenarrabiles quærit. Hoc est enim modum conditionis suæ transgredi; nec intelligere, quousque homini liceat accedere.*

(5) Hinc recte Varro, *nemo ægrotus*, ait (in Frag.) *quic-*

Ax. unic. *Nemo dat plus, quam habet.*

D. Si enim aliquid daret plus, quam habet, jam id, quod plusquam haberet, daret, rationem sufficientem haberet in nihilo, quod fieri nequit (ax. 1. c. 5.).

Propositiones.

Prop. I. *Repugnat, materiam, ex qua factus est mundus, fuisse æternam, et a se, sicuti Deus est.*

D. I. Nam si materia, ex qua mundus est factus, fuisset æterna, et a se, jam fuisset ens æternum, et ipsa sicuti Deus; adeoque fuisset immutabilis (p. 2. c. 1.), et ex ea fieri nullimode potuisset mundus. Quum igitur mundus constet ex materia, dicendum, materiam, ex quo constat, non fuisse æternam, sed factam. Pugnat ergo, materiam, ex qua mundus est factus, fuisse æternam, et a se, sicuti Deus.

II. Deinde pugnat esse plura entia a se; seu entia æterna (p. 7. c. 2.). Atqui si materia, ex qua mundus est factus, fuisset æterna, sicuti Deus, plura essent entia æterna, et a se, Deus nempe, et materia ipsa. Si ergo pugnat, plura esse entia a se, pugnat pariter materiam etc. (6).

 Prop.

quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus.

(6) Vellem hic, ut legeretur Lactantius *cap.* [illegible] *de origine erroris*, ubi fuse, atque perbelle impios dualiſtas refutat, & S. Baſilius in Hex aemer. *homil.* 2.

Prop. II. *Mundus hic adspectabilis, qui productus fuit a Deo* (ex demonstr.), *vel ex materia æterna quam somniavit Plato, productus fuit, vel ex nihilo, vel per substantialem suæ naturæ emanationem.*

D. De facto, non est aliud medium. Siquidem vel Deus mundi substantiam non produxit, ex nihilo, sed tantum modificavit, et sic produxit ex æterna Platonis materia. Vel mundi materiam ex sua propria natura excepit Deus, et sic per substantialem emationem. Vel materiam produxit ex nihilo sui, et sic produxit per creationem. Si igitur aliud non est medium, quo mundum ab ipso Deo produci potuit, præter hæc tria, sequitur quod mundus hic adspectabilis etc.

Prop. III. *Mundus hic adspectabilis produci a Deo non potuit per substantialem emanationem.*

D. Nam Deus est Ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est immutabilis (p. 2. c. 1.) quoad essentiam, et quoad exsistentiam. Jamvero ex immutabili nihil mutabile, aut in tempore fieri potest per substantialem emanationem; aliter enim mutaretur, quod esset contra hypothesim. Ergo a Deo mundus hic adspectabilis, per substantialem emanationem, produci non potuit; est enim mutabilis (prop. 1. cap. 4.), et in tempore (p. 7. cap. 9.) productus.

II. Deus est Ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est simplicissimus (p. 8. c. 2.). Ex simplici autem fieri nequit, per substantialem emanationem, compositum. Jamvero mundus adspectabilis compositus est (p. 2. c. 4.). Ergo fieri non po-

potuit, per substantialem emanationem, ex Deo (*).

Prop. IV. *Mundus hic adspectabilis productus non fuit a Deo ex præsupposita æterna materia Platonis, per productionem proprie dictam, vel dispositionem.*

D. I. Nam materia isthæc purum est, putidumque commentum; pugnat siquidem materiam, ex qua factus est mundus, fuisse a se, et æternam, sicuti Deus est (p. 1. huj.). Si ergo pugnat materiam, ex qua mundus est factus, fuisse a se, et æternam, jam sequitur, ipsam a se nullimode fuisse. Si a se non fuit, fuit ab alio; omne enim ens vel a se est, vel ab alio. Si ergo ab alio fuit materia, non fuit æterna, scilicet ab æterno non exstitit. Si ergo ab æterno materia mundana non exstitit, sequitur, mundum hunc adspectabilem, productum a Deo non fuisse ex præsupposita æterna materia Platonis, aliter siquidem produxisset Deus, et non produxisset simul mundum, ex ea. Produxisset, quia vult Plato; non produxisset autem, quia materia isthæc non potuit esse æterna, et a se (p. 1. huj.). Jamvero idem simul esse, et non esse pugnat (ax. 1. c. 1.). Ergo... adeoque.

(*) Ex hac ſecunda demonſtratione, inepte inferretur, mentes ſaltem humanas, utpote *simplices*, per emanationem, a Deo ſimpliciſſimo, potuiſse produci. Nam, hoc in caſu, vel eſsent partes, a divina ſubſtantia ſeparatæ, & hoc pugnat (*prop.* 8. *c.* 2.): vel eædem cum ipſa, & pariter pugnat (*p.* 3. *cap.* 1.).

II. Pugnat materiam, ex qua mundus productus est, fuisse æternam, et a se (p. 1. huj.). Ergo pugnat exstitisse æternam Platonis materiam. Ergo pugnat pariter, mundum, ex hujusmodi æterna materia, productum fuisse a Deo. De facto, si non exstitit, quomodo ex ea produci potuit mundus? Ergo revera . . .

Prop. V. *Mundus hic adspectabilis productus fuit a Deo per creationem, scilicet ex nihilo sui, et subjecti.*

D. Mundus enim hic adspectabilis vel ex materia æterna Platonis (§. 1. huj.) productus fuit a Deo, vel per substantialem naturæ suæ emanationem, vel per creationem (p. 2. huj.). Non ex præsupposita æterna Platonis materia (p. 4. huj.); non per substantialem emanationem (p. 3. huj.). Ergo per creationem; non enim est alind medium, quo produci poterat, præter hæc tria. Mundus hic adspectabilis igitur etc. . . . Q. E. D. (*).

Ob-

(*) Nos ergo a Deo ſumus. Reminiſcamur, unde originem traxerimus; nempe 1. a *Deo*: ergo ſancti ſimus, quoniam ipſe ſanctus eſt: 2. a *nihilo*: ergo non alta ſapiamus, nec ſuperbe, de nobis, ſentiamus. Ponamus ſemper ante oculos mentis præclarum illud Petri Berchorii (*Dictionario morali art.* Creatura) ibi: „ Creatura, de ſui ſignificato, „ importat quamdam nobilem conditionem, quia a Deo eſt: „ quandam virtuoſam perfectionem, quia in eſſe eſt: quandam ſubjectionem, & obligationem, quia ab altero eſt „. Memores ergo vivamus *nobilitatis noſtræ conditionis*, agnoſcamus finem, ad quem nati ſumus, & eſſe noſtrum *perficiamus*: adimpleamus *obligationem* noſtram, erga ſupremum

Con-

Objectiones.

Ob. I. Si mundus hic adspectabilis per creationem productus fuisset a Deo, productus fuisset ex nihilo. Jamvero ex nihilo produci non poterat. Ergo etc. Prob. min. Est commune Philosophis, quod *ex nihilo nihil fieri potest*. Ergo mundus ex nihilo produci non poterat: adeoque productus non fuit a Deo per creationem.

Resp. Dist. ant. tamquam ex caussa, c. tamquam ex termino, a quo entis productio proficiscitur, n. ant. Ergo... n. conseq. Itaque axioma illud Philosophorum: *Ex nihilo nihil fieri potest*, tunc solum verum est, quando nihil consideratur tamquam aliqua caussa efficiens. Nam nihili nullæ sunt proprietates, et attributa (Def. 8. c. 1.). Ergo nec exsistentia ipsi competit; quare non potest operari; aliter enim, non exsistendo, operaretur, quod pugnat (ax. 2. c. 1.). Si ergo nihil operari non potest, revera ex ipso, ut caussa efficiens consideratum, nihil fieri potest (vide ax. 1. c. 5.). Non item verum est hoc axioma, consideratum *nihil* tamquam terminus, ex quo aliquid ab aliqua potentia infinita produci potest. De facto mundus hic adspectabilis a nullo

Conditorem noſtrum; ſicuti enim, quamdiu ſumus, neceſsario a Deo pendemus; ita, quamdiu ſumus, ipſi Deo, per *veram*, & *puram charitatem*, conjuncti eſse debemus. Aliter infelicem nunc, poſtea vero infeliciſſimam, vitam, degemus. Itaque, ſi Dei ſumus, Deo vivamus.

nullo alio productus fuit, præterquam a Deo (p. 4. c. ant.). Jamvero produci ab ipso Deo non potuit per substantialem emanationem (p.3. huj.); neque ab æterna materia Platonis (pr. 4. huj.). Ergo produxit per creationem, idest ex nihilo, tamquam ex termino. Ergo ex nihilo, tamquam ex termino *a quo*, ut scholæ loquuntur, produci res possunt, præsupposita tamen infinita aliqua potentia. Mundus igitur produci a Deo peroptime potuit, ut de facto productum esse contendimus, ex nihilo, tamquam ex termino, *a quo* produci res possunt.

Inst. Atqui ex nihilo nihil fieri potest, nec etiam tamquam ex termino, *ex quo* productio entis incipit. Ergo.... prob. min. subs. Si ex nihilo, tamquam ex termino, fieret aliquid, superaretur distantia infinita, quia ens inter, et nihil distantia infinita intercedit. Atqui distantia infinita superari non potest. Ergo...

Resp. Conc. maj. dist. min. Ab ente finito, et finita potentia prædito, conc., ab ente infinito, et prædito potentia infinita, n. min. ergo.. n. conseq. Igitur ab ente finito, et finita potentia prædito, distantia infinita, quæ inter nihilum, et aliquod, intercedit, superari nullimode potest. Nam si superaretur, jam caussa, finita potentia prædita, actum eliceret infinitum; adeoque plus daret, quam haberet; quod fieri nequit (ax. unic. huj.). Peroptime tamen hæc distantia superari potest ab Ente infinito, et infinita potentia prædito. Quippe si superari ab ea potentia, non potest, jam datur infinitus infinito

ma-

major, quod ne intelligi quidem potest. II. Ad superandam distantiam infinitam, requiritur potentia infinita. Atqui tale est Ens infinita potentia præditum. Ergo peroptime ab eo distantia infinita superari potest. III. Potentia infinita potest producere actum in se infinitum; aliter enim 1. daretur infinitum infinito majus. 2. Deus, qui est infinitus, non posset sua infinita cognitione, cognoscere se *totaliter*, ut ajunt scholæ, quod est absurdum. Atqui ad superandam distantiam infinitam requiritur actus infinitus, qui produci potest ab infinita potentia. Ergo ab infinita potentia potest superari distantia infinita, quæ nihilum inter, et aliquid, intercedit. Adeoque ex nihilo, tamquam ex termino *a quo* productio entis incipit, potest produci quicquid ab Ente infinita potentia prædito produci exoptatur.

Inst. Atqui distantia, quæ inter nihilum, et ens intercedit, nec ab ente, infinita vi prædito, superari potest. Ergo... Prob. subs. Ens producendum, antequam producatur, jam nihil est; quod autem est nihil, possibile non est. Jamverò quod possibile non est, nec ab Ente, vi infinita prædito, fieri potest. Ergo...

Resp. Dist. maj. vel *rigorose*, vel *large* sumptum c. secus n. maj. dist. min. Quod autem est nihil *rigorose sumptum*, nec possibile est, c., quod nihil est *large sumptum*, nec possibile est, n. min dist. min. subs. quod possibile non est *intrinsece*, nec ab ente etc., c. quod possibile non est *extrinsece* tantum, et id respectu potentiæ finitæ, nec ab ente etc. n. min. subs. Ergo.

n.

n. conseq. Igitur, ut nos supra (sch. def. 6. cap. 1.) notavimus, nihil vel *rigorose* sumitur, vel *large*. Sumptum primo modo, certe possibile omnino non est. Nam quod contradictionem involvit, nullimode possibile est. Atqui nihil, *rigorose* sumptum, contradictionem involvit (sch. def. 6. c. 1.). Ergo nihil *rigorose* sumptum, nullimode possibile est. Verum sumptum nihil *largo modo*, possibile quidem est ad exsistendum. Quippe non omne, quod non exsistit, pugnat exsistere. Sic quænam repugnantia reperitur, quod cras Deus aliam producat animam viventem? Deinde nihil largo modo sumptum comprehendit omne ens possibile (loc. cit.) Ergo nihil, *largo modo* sumptum, non est impossibile. Item possibile vel *intrinsece*, vel *extrinsece* possibile (sch. def. 2. c. 1.) est. Omne porro intrinsece possibile, respectu potentiæ infinitæ est etiam possibile *extrinsece*. Jamvero Deus est prædítus infinita potentia. Nam Deus est Ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est perfectissimus; aliter enim perfectissimus non esset, quod est absurdum (p. cit.). Si ergo est potentissimus, potest omnia *intrinsece* possibilia producere. Atqui intrinsece possibilia, antequam producantur, nihil sunt *large* sumptum. Ergo ex nihilo, *large* sumpto, Deus potest quid vult, si non pugnat, producere. Ergo potest multa ex nihilo producere. Quum igitur non pugnet, ex nihilo, *largo modo* sumpto, posse multa produci; sequitur, non pugnare, hunc mundum ex nihilo productum fuisse, ut de facto productum fuisse, pro aris, et focis, contendimus, et aperte demon-

monstravimus. Adeoque mundus hic adſpectabilis productus a Deo fuit per creationem (7).

Objectio II.

Si mundus hic adſpectabilis per creationem, a Deo productus fuiſſet, productus fuiſſet libere: libere autem produci non poterat, niſi prius illum Deus cognoviſſet. Atqui Deus illum cognoſcere non poterat. Ergo non potuit illum, per creationem, producere. Prob. min. ſubs. Deus eſt ſpiritualis, mundus autem materialis. Atqui ſpirituale nequit cognoſcere materiale. Ergo ſi mundus eſt materialis, ſequitur, quod Deus etc.

Reſp. C. maj. n. min. n. conſeq. Falſum itaque eſt, adſerere Deum, qui ſpiritualis eſt, non potuiſſe cognoſcere mundum materialem, antequam illum produceret ex nihilo. Nam factus eſt mundus a Deo (p. 4. c. ant.). Fieri autem non potuit per ſubſtantialem emanationem (p. 3. huj.), neque ex æterna Platonis præſuppoſita materia (p. 4. huj.). Ergo productus eſt per creationem. Non enim eſt aliud medium, præter hæc tria, quo mundus produci potuit (p. 2. huj.) a Deo. Si ergo productus eſt per creationem, per eoſdem adverſarios, productus eſt libero actu voluntatis Dei. Et quoniam nil volitum, quin præcognitum in agentibus liberis; ideo Deus prius cognovit, po-

(7) Legatur B. Thomas 1. *p. q.* 45. *art.* 2. ubi S. Doctor agit de Creationis poſſibilitate.

posteaque, volendo, illum produxit ex nihilo; quomodo autem cognovit illum, priusquam ex nihilo produceret, fateor me nescire. Hoc tantum scio, et ad evidentiam usque claravi, Deum nempe prius, immo ab æterno, mundum cognovisse, et postea pro libito voluntatis suæ, illum, in tempore sibi placito, produxisse; aliter enim non libere, sed casu operatus fuisset; quod pugnat dici de Ente perfectissimo, qualiter est Deus (8).

Prop. VI. *Deus, qui produxit mundum ex nihilo, illum produxit actu voluntatis suæ.*

D. Nam Deus produxit mundum per creationem (pr. ant.); adeoque ex nihilo sui, et subjecti (def. 1. huj.). Jamvero nullum ens, ex nihilo sui, et subjecti, produci potest, nisi actu voluntatis Entis potentia infinita præditi. Nam si ita non esset, quod producitur ex nihilo sui, et subjecti, produci posset per aliquod aliud medium, inter infinitam potentiam creatricem, et nihil. Istud porro medium vel factum esset, vel a se. Non a se, quia unum est Ens a se (p. 7. c. 2.). Ergo esset factum; adeoque dependens ab eo, a quo esset factum. Igitur esset contingens; adeoque rationem exsistentiæ suæ haberet in Ente a se (p. 2. c. 2.); et per consequens in Deo (p. 1. c. 5.). Quum autem Deus produxit istud medium, vel produxit actu volontatis suæ, vel per aliud medium. Non per aliud medium; quia eadem esset et de isto interrogatio, et eadem de alio.

(8) Vide Genuenſem Metaph. Italic. *p. 1. cap. 4.*

alio. Jamvero in hoc casu processio in infinitum repugnat. Ergo necesse est, ut aliquod istorum medium sine alio medio productum sit, quod fieri nequit, nisi actu voluntatis Dei.

Præterea pugnat, Deum creare posse per aliquod medium (*). Nam medium debet esse finitæ entitatis, (aliter enim plura entia infinitæ entitatis possibilia essent, quod est absurdum (**) (p. 6, c. 2.); adeoque finitæ virtutis, et potentiæ. Quod autem finitæ potentiæ est, effectum, seu actum infinitum producere nequit, aliter enim plus daret, quam non haberet, quod est absurdum (ax. unic. huj.). Jamvero ad effectum, seu actum infinitum, ut est creatio, requiritur potentia infinita. Ergo, quum hanc nequeat habere quodcumque medium creatum; sequitur, Deum, per medium aliquod, creare non posse; adeoque quidquid creavit, creavit actu voluntatis suæ. Ergo mundus productus est voluntatis Dei actu. Ergo...

II. Ad producendum aliquid, per creationem, re-

(*) „ Errant ergo (*ut cum doctissime a Lapide in* „ *cap. 1. vers. 1. Genes. loquar*) Simon Magus, Arius, & „ alii, dicentes, quod Deus crearit Filium; Filius vero crea„ rit Spiritum Sanctum; Spiritus Sanctus crearit Angelos; „ Angeli Mundum „.

(**) „ Errant igitur (*loquor cum a Lapide loc. modo* „ *cit.*) Pythagoras, Manichæi, & Priſcillianiſtæ, dicentes, „ duo eſſe principia rerum, ſive duos eſſe Deos: unum bo„ num, conditorem ſpirituum, ſecundum malum, condito„ rem corporum „.

requiritur actus infinitus; debet enim superare distantiam infinitam, quæ inter nihilum, et aliquid intercedit. Ergo et potentia infinita, quæ esse non potest, nisi in Ente infinitæ entitatis. Nam potentia infinita supponit entitatem infinitam. Aliter enim plus daret in producendo, quam haberet, quod est absurdum (ax. unic. huj.). Quoniam autem Ens a se est infinitæ entitatis (p. 5. c. 2.), et plura entia infinitæ entitatis impossibilia sunt (p. 6. c. 2.); sequitur solum Ens a se, adeoque Deum, esse entitatis infinitæ (p. 1. c. 5.). Ergo ipse solus est infinitæ potentiæ, quam aliis communicare non potest (Corol. p. 6. c. 2.). Ergo nulli alio instrumento hanc infinitam potentiam creandi communicare potest. Adeoque per nullum aliud medium Deum creare potest. Quidquid igitur creat, creat ipse immediate, et per se. Quum autem creatio sit productio rei ex nihilo sui, et subjecti (def. 1. huj.), sequitur, Deum non creasse mundum, nisi voluntatis suæ actu.

Scholion.

Ceterum dato etiam, quod Deus, creando mundum, creaverit aliquo medio, non autem actu voluntatis suæ, medium illud esse non potuit, nisi pura occasionalis caussa. Quum enim solum ens a se sit infinitæ entitatis (Corol. p. 6. c. 2.), sequitur, ipsum solum esse posse infinitæ potentiæ, quam alii (ex supradictis) nullimode communicare potest. Ergo si creando mundum, Deus;
con-

concedamus etiam, ipsum creasse per aliquod medium, vel instrumentum; sequitur, illud instrumentum non potuisse esse, nisi caussam tantum occasionalem, non autem effectricem mundi. Caussa igitur efficiens, et creatrix, mundi hujus, est Deus per se, et immediate: atqui talis esse non posset, nisi mundum actu voluntatis suæ produxisset. Ergo semper firmum restat, quod Deus, qui etc. (9).

Corollarium.

Caussa igitur efficiens, et creatrix mundi hujus adspectabilis est voluntas Dei O. M.

Prop. VII. *Deus creavit mundum libere.*

D. Quicquid ab agente independente fit voluntate,

---

(9) Animadvertendum heic eſt, actum voluntatis Dei eſſe idem, ac voluntatem ipſam; voluntatem autem idem, atque potentiam; potentiam idem, ac ſubſtantiam ipſam, & eſſentiam Dei ipſius. Quapropter in Deo actus voluntatis ſuæ, ipſa voluntas, potentia, eſſentia, & ſubſtantia, ſunt unum idemque. Aliter de iſtis Dei proprietatibus ſentire nequimus, niſi vel ignorantia, vel impietate nixi, lapidea fronte adfirmare velimus, *in Deo locum habere accidentia*, quod maximum eſſet abſurdum. Jamvero Deus eſt Ens a ſe (p. 1. c. 5.). Ergo immutabilis quoad eſſentiam, & ad exsiſtentiam (p. 2. c. 1.). Ergo eſt immutabilis quoad actum voluntatis ſuæ. Licet ergo produxerit mundum actu voluntatis ſuæ; tamen nullimode actus ille mutatus eſt, ſed ſemper idem fuit ab æterno, idem quando produxit mundum. Hinc os præcluditur quorundam impiorum hominum, adfirmantium, Deum in creatione mundi mutatum eſſe. Legat. D. Iſidorus *lib. 1. de summo bono cap. 1.*

tate, libere fit; aliter enim dependeret ab alio voluntas ejus, et ipsum. Atqui Deus est agens independens. Ergo quidquid ab eo voluntate fit, libere fit. Jamvero Deus voluntate sua mundum creavit (p. 6. huj.). Ergo libere creavit.

II. Deus est Ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo continet in se omnes possibiles perfectiones (p. 9. c. 2.), et quidem in summo gradu (pr. 10. ejus.). Ergo est perfectissimus (p. 12. ejusd.). Ergo est Ens liberrimum; aliter enim perfectissimus non esset: si igitur est Ens liberum, libere operatur: Ergo libere mundum produxit.

III. Si Deus libere non produxisset mundum, vel coactus fuisset ab aliquo superiore, ad ipsum producendum, vel ab aliqua necessitate, quam de ipso habuit, vel produxit per substantialem, et necessariam emanationem. Jamvero ab aliquo superiore cogi non potuit; est enim independens, quia est a se (p. 1. c. 5.); non ab aliqua necessitate, quam de ipso mundo habuit, quia nullo alio eget. Nam Deus est Ens a se (p. 1. c.5.). Ergo est perfectissimus; adeoque nullo alio eget. Neque illum produxit per substantialem, et necessariam emanationem (p. 3. huj.). Ergo produxit libere. Q. E. D.

Objectiones.

Ob. I. Omne, quod est ab æterno, est necessarium. Atqui actus voluntatis Dei, quo mundum creavit, est ab æterno. Ergo est necessarius; adeoque

que Deus mundum necessario produxit.

Resp. Dist. maj. vel *absolute*, vel *hypothetice*; c.; secus n. maj. c. min. dist. cons. *absolute*, n. *hypothetice*, c. conseq. Itaque omne, quod ab æterno est, aut absolute, aut hypothetice necessarium sit, oportet. Vel siquidem ab æterno a se fuit; adeoque absolute necessarium; vel naturaliter ab Ente a se productum est (10); et hoc modo erit pariter absolute necessarium; vel ab æterno quidam productum ab Ente a se, sed libere, et tunc non absolute, sed hypothetice tantum necessarium sit, oportet. Jamvero actus voluntatis Dei, quo mundum produxit, licet fuerit ab æterno, fuit tamen libere a Deo elicitus. Nam, si Deus libere non produxisset mundum etc. (*reliqua in Demonstr.* 3. *huj. p.*). Adeoque actus voluntatis Dei, licet fuerit ab æterno; non est tamen dicendus necessarius, nisi hypothetice, nempe postquam Deus se determinavit ad talem actum eliciendum; quod nullimode tollit in Deo libertatem, immo maxime sapientiam ejus immutabilem, et infinitam exaltat.

Inst. Atqui actus ille voluntatis, quo Deus mundum produxit, fuit *absolute* necessarius; non vero *hypothetice*. Ergo... Prob. subs. Actus voluntatis in Deo est idem, ac potentia Dei; potentia idem ac essentia. Sed essentia est necessaria.

---

(10) Hujuſmodi ſunt in Deo generatio Filii, Spiratio Spiritus Sancti: ejuſmodi omnes actiones ad intra.

Digitized by Google

saria. Ergo actus voluntatis, in Deo, est necessarius. Ergo...

Resp. I. Et dico. Actum voluntatis Dei, quo Deus seipsum vult, et amat, esse omnino necessarium. Nam hujusmodi actus voluntatis Dei est actio *ad intra*; habet enim pro objecto Deum ipsum. Sed omnes Dei operationes *ad intra* sunt necessariæ, aliter namque possent esse, vel non esse in Deo; adeoque in eo accidentia locum habere possent; quod maximum esset absurdum, adserere. Quum igitur actus voluntatis Dei, quo seipsum vult, et amat, sit actio *ad intra*, est omnino, et absolute necessarius. Non idem dicendum est de actu, quo Deus mundum ex nihilo creavit. Dico nempe, istiusmodi actum non fuisse in Deo necessarium, sed liberum. Nam I. si fuisset necessarius, vel Deus coactus esset ab alio extra se, ad talem actum producendum, vel ab aliqua caussa intra se. Non primum, quia est omnino independens. Est siquidem Deus Ens a se (p. 1. c. 5.). Non secundum. Quum enim sit Ens a se (p. cit.), est omnino simplicissimus (p. 8. c. 2. et 1. c. 5.). II. Deus est Ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est perfectissimus (p. 12. c. 2.); adeoque potentissimus, idest Omnipotens. Jamvero Omnipotentis est, omnia possibilia posse facere. Ergo si Deus necessario operatus fuisset, in productione mundi hujus, omnia possibilia produxisset. Quare præter hunc præsentem mundum, et præter præsentem ejus ordinem, nullus alius mundus, nec alius ordo possibilis esset.

set. Quod quam falſum ſit, nemo non videt (11). Si igitur non produxit Deus omnia poſſibilia; ſequitur, produxiſſe ea tantum, quæ ſibi placuerunt; adeoque quæ produxit, libere omnino produxit (12).

Reſp. II. Et dico, Deum eſſe Ens liberrimum, conſtare evidentiſſime I. ex ejus infinita perfectione: II. ex ejus omnimoda independentia, et ex aliis ſuis infinitis attributis. Conſtat pariter, actum, quo Deus produxit mundum, elicitum fuiſſe, a Deo ipſo, ab æterno; aliter enim mutatus fuiſſet in productione mundi, quod dici nequit. Tandem patet in Deo habere locum non poſſe ratiocinium noſtrum, quo ſcilicet per nota ignota cognoſcimus, ſed omnia unico, atque ſimpli-

(11) „ Multa non ſunt (egregie D. Thom. *lib.* 2.
„ *contra Gentes c.* 23.) in rebus creatis; quæ tamen ſi eſ-
„ ſent, contradictionem non implicarent: ſicut patet præcſ-
„ pue circa numerum, & quantitates, & diſtantias ſtellarum,
„ & aliorum corporum; in quibus ſi aliter ſe haberet ordo
„ rerum, contradictio non implicaretur. Multa igitur ſub-
„ ſunt Divinæ potentiæ, quæ in rerum natura non inve-
„ niuntur.

(12) „ Quicumque autem eorum (ſequitur idem S.
„ Doctor *loc. cit.*) quæ poteſt facere, quædam facit, &
„ quædam non facit, agit per electionem voluntatis, & non
„ per neceſſitatem naturæ. Deus igitur non agit per neceſſi-
„ tatem naturæ, ſed per voluntatem „. Hucuſque S. Doctor.
Præterea ſi Deus non produxiſſet mundum libere, ſed neceſſitate naturæ; jam non produxiſſet actu voluntatis ſuæ, adeoque nec per creationem. Ergo produxiſſet per ſubſtantialem emanationem. Quapropter mundus eſſet ens æternum: quod putidiſſimum eſt abſurdum (p. 5. c. 4.).

plici actu ipsi notissima esse ab æterno. Ergo Deus ab æterno omnia semper immutabiliter, et perfecte novit; atque ab æterno pariter actum voluntatis, quo mundum produxit, elicuit (licet mundus fuerit in tempore). Scimus præterea cognitionem aliquo modo præcedere debuisse actum voluntatis. *Nihil enim volitum, quin præcognitum.* Modum autem, pro præcessit, fateor me adsignare non posse. Hoc tantum evidenter scio. I. Actum, quo Deus mundum cognovit, et actum voluntatis, quo mundum produxit, fuisse ambo ab æterno: II. Deum esse Ens liberrimum. Quomodo porro libertas Dei cum actu æterno voluntatis suæ consistere possit, nec capio, nec capi ab aliquo posse existimo. Constat ergo, Deum produxisse mundum *libere*, *quomodo* autem ita produxerit, ignoratur (13).

---

(13) Scimus, maximam hominum partem negare ſolitam eſſe veritates, ſæpe ſæpius evidentiſſimas, ex eo, quod *modum*, quo id verum ſit, intelligere non poſſit. Hujuſmodi ſunt etiam inpræſentiarum Fataliſtæ. O inauditam hominum audaciam! Et quid aliud id eſt, niſi modum propriæ conditionis tranſgredi, & de illis definire, quæ mens nullimode attingere poteſt? Nos nati non ſumus, ut ſciamus *Tutt' i Come*, neque ut ſciamus *Tutt' i perchè*, ſed ea tantum, quæ nos ad felicitatem propriam ducere poſſunt. Legatur Eccleſiaſticus *cap. III. v. 22. & seqq.* nec non Prov. *cap. XXV. v. 27.* Vide, in hæc loca cit., Cornelium a Lapide, ubi multa, ad propoſitum, digna lectu, habentur.

Objectio II.

Deus non creavit libere mundum, si non potuit non creare. Atqui non potuit non creare illum. Ergo non creavit mundum libere. Prob. min. Deus non potuit non cognoscere mundum. Ergo non potuit illum non creare. Adeoque ...

Resp. Ç. ant. n. conseq. Itaque Deus non potuit non cognoscere mundum. Nam Deus cognoscit omnia possibilia in seipso. Possibilia non sunt, nisi ideæ Dei. Ideæ Dei sunt ipsamet essentia Dei (*). Ergo cognoscere possibilia, respectu Dei, est idem, ac seipsum cognoscere. Jamvero Deus, ab æterno, non potuit non cognoscere seipsum. Ergo non potuit non cognoscere omnia possibilia. Quum igitur mundus fuerit, ab æterno, possibilis; sequitur, Deum non potuisse non cognoscere mundum. Ideo ergo Deus non potuit non cognoscere mundum, quia quum omnes rerum possibilitates sint ideæ Dei: ideæ autem Dei ipsa Dei essentia; sequitur, quod sicut Deus necessario cognovit seipsum, ita necessario cognovit mundum. Econtra porro, *actus creationis* mundi, non habet, pro objecto, eundem Deum,

(*) Quoniam vero *una* eſt, in Deo, *essentia*; ſequitur apertiſſime, *unam* pariter, in Deo, eſſe realiter *Ideam* atque cognitionem. At *multiplex*, ipſa idea, concipitur, ſecundum noſtrum cogitandi modum tantum; quatenus nempe, eſſentia divina, infinitis modis eſt imitabilis, & participabilis. Aliter ſentire, *accidentia*, in Deo; admittentur. Nihil erit abſurdius.

sed ipsum mundum, qui diversus est a Deo; adeoque illum Deus necessario velle non potuit; et per consequens nec *necessario* producere potuit. Ergo et *libere* voluit, et *libere* fecit.

Prop. VIII. *Deus priusquam mundum hunc adspectabilem produxit, illum concepit in seipso.*

D. I. Voluntas est appetitus rationalis (Def. 6. huj.). Quicquid ergo voluntate fit, ab agente rationali, cum prævio conceptu, et consilio rationis fit. Jamvero Deus produxit mundum sua voluntate. Ergo illum produxit cum prævio conceptu, ac consilio summæ rationis suæ; adeoq...

II. Omne agens intelligens agit propter finem (14). Ergo agens intelligentissimum, agendo, agit propter optimum finem. Jamvero Deus est agens intelligentissimum (p. 11. c. 2.). Ergo agendo, agit propter optimum finem. Creavit autem mundum. Ergo propter aliquem optimum finem creavit. Ergo priusquam illum produxit, in seipso concipere, et ordinare debuit; aliter enim, quomodo proposito fini respondere potuisset? Ergo revera Deus (15).

SCHO-

---

(14) Et revera „ de agentibus per intellectum (*ait B.* „ *Thom. lib. 3 contra Gentiles cap. 2.*), non eſt dubium, „ quin agânt propter finem: agunt enim præconcipientes in „ intellectu id, quod per actionem conſequuntur, & ex ta„ li præconceptione agunt. Hoc enim eſt agere per intelle„ ctum „.

(15) Confirmat propoſitionem noſtram S. Baſilius Magnus (*in Hexaem. hom. 2.*) adfirmans „ Deum antequam quic„ quam eorum, quæ conſpiciuntur, exortum eſſet, ea, quæ „ non-

Scholion.

Mundus hic adspectabilis compositus est (p. 2. c. 4.). Ergo est materialis, seu corporeus. Jamvero omne corporeum loco indiget. Si igitur mundus hic adspectabilis corporeus est, indiget loco, ubi sistat. Ergo in loco a Deo, quando productus fuit, fuit collocatus. Videamus igitur, an prius locus iste exstabat, an exstat nunc, an destructo mundo, ipse sit permansurus.

CA-

„ nondum erant mente concepiſſe, conceptaque facere voluiſ-
„ ſe, atque qualem eſſe mundum oporteret, intellexiſſe „. Vide Eccleſiaſticum *cap.* 23. *v.* 29. Hinc egregie cecinit Boetius (*lib.* 3. *de Consolat. Philos. Metr.* 9.):

. . . . . . *Tu cuncta superno*
„ *Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse*,
„ *Mundum mente gerens, similique in imagine formans.*

Ex hucuſque dictis, de mundo, patet tandem apertiſſime, ejuſdem mundi *caussam efficientem*, eſſe Deum, *materialem*, nihilum; *formalem*, formam Cæli, & Terræ; *instrumentalem* (liceat ſic, ad confuſionem Simonianorum, & Arianorum: *vid. adnot. ad prop.* 6. *huj. cap.*) immediate voluntatem Dei; *finalem*, bonum, non Dei, ſed noſtrum. O quam Deo Auctori noſtro amantiſſimo, habemus gratiam!

CAPUT VIII.

In quo demonstratur 1. *Spatium vacuum esse possibile* : 2. *Exstare de facto istiusmodi spatium* , *et quidem infinitum* . 3. *Idque non esse substantiam mediam a Deo* , *et a materia independenter distinctam* . 4. *Spatium item non fuisse creatum a Deo* . 5. *Non esse ambientis corporum superficies*. 6. *Neque subtilissimum fluidum* : 7. *Neque Dei immensitatem* . 8. *Sed esse capacitatem quandam tantum negativam corporum recipiendorum* .

DEFINITIONES.

Def. I. Per spatium intelligimus interminatam quandam, infinitam, non resistentem, continuam, permanentem, immobilem, et ubique diffusam expansionem, capacitatem, seu in longum, latum, et profundum homogeneam exstensionem.

SCHOLIUM.

Sic spatium definit Clarissimus Monteirus ; sicque, qui illud, cum eo, admittunt. Spatii autem ideam sic efformabis. Concipiatur punctum *A.* (*ait Muschembroeckius*), et præter illud, aliud punctum *B.*, a priori diversum ; erit inter hæc bina puncta spatium simplicissimum. Sic porro concipi possunt duæ superficies, inter quas nullum exstat corpus ; adeoque erit inter eas spatium. Sic etiam inter

inter tres, vel quatuor, vel plures superficies, si nullum inter eas exstabit corpus, illud voco *spatium*; si in infinitum extendi concipiatur, spatium habebis infinitum.

Def. II. Spatium porro vel *absolutum* est, vel *relativum*. Absolutum est illud etiam spatium, quod modo definivimus, quoad naturam suam tantum, sive sine relatione ad aliud consideratum. Relativum porro sunt dimensiones, seu mobiles mensuræ spatii absoluti, quas sensus nostri concipiunt, secundum diversas positiones corporum inter eas.

Scholion.

Sic, sit navis hominibus plena. Si movebitur, jam per varias absoluti spatii partes pertransibit, et homines in ea morantes, spatium absolutum mutabunt. Econtra vero, si navis non movebitur, et homines movebuntur in ea; homines illi mutabunt quidem spatium relativum, non vero absolutum. Patet ergo spatium absolutum respectu illorum hominum esse locum navis; relativum vero locum proprium eorundem, sed respectu navis, atque respectu aliorum corporum in eadem navi morantium (1).

Def. III. Positivum inpræsentiarum illud dicimus, quod aliquid est; *negativum* vero, quod nihil

(1) Hinc patet corpora poſſe mutare loca proprie relativa, abſque eo, quod mutent loca abſoluta, & viciſſim.

Digitized by Google

hil est. Sic spatium *negativum* dicetur, si supponatur esse nescio quid *spatiosum nihil*; si vero supponatur esse nescio quid aliud exsistens, tunc *positivum* dicetur.

Def. VI. Distinctio quatruplex est, *Realis* nempe, *Modalis*, *Formalis*, *Rationis*. Realis est, quæ habetur inter ea, quæ eadem non sunt, quæque separatim intelligi possunt, veluti tria latera, aut tres anguli in triangulo. Seu est illa, quæ habetur inter rem, et rem, ens, et ens, substantiam, et substantiam, hypostasim, et hypostasim.

SCHOLIUM.

Clarissimus Henricus Morus, illa realiter distingui inter se dicit, quæ separari optime possunt. Metaphysici quoque realem distinctionem inter plura non dari, dixerunt, nisi saltem intrinseca possibilitate separabiles sint, et separatim exstare possint. Id et nos verum dicimus, quum tamen ex ideis, quæ sensibus, rationique nostræ subjiciuntur, loquimur, ratiocinamurque. Verum in rebus fidei, quæ non contra, sed supra rationem nostram sunt, verum idipsum esse negamus, pernegamusque. Tres enim Divinæ Personæ realiter quidem inter se distinguuntur, quæ tamen separatim exsistere, nullimode adfirmamus. Quoties ergo hoc in opere dicemus, ea, quæ realiter distinguuntur, separatim posse exsistere, de iis intelligemus tantum rebus loqui, quæ sensibus, rationique nostræ subjiciuntur. Philosophiam siquidem,

dem, quæ supra rationem, et sensus sit, hio non damus.

Def. V. Modalis autem distinctio illa dicitur; quæ modos, et qualitates, et a substantia eorum, et inter se distinguit. Sic, distinctione ista, albedinem a muro, in quo est, distinguo; et a nigredine, quæ in eodem muro reperitur; separo virtutem ab anima, et ab alia virtute, quæ in eadem anima reperitur.

Def. VI. Distinctio formalis est, quæ inter formalitates, seu attributa rei essentialia intercedit. Hac distinctione soliditatem a corpore ipso solido, et gravitatem a soliditate distinguo, intellectum ab anima, et animam ab ejus voluntate.

Def. VII. Rationis distinctio dicitur, quando ea inter se distincta concipimus, quæ revera talia non sunt. Sic, in solis luce, distinguo ipsam lucem ab ejus calore.

Coroll. I. Ergo distinctio realis major est distinctione formali, et formalis major illa rationis. Quare

Coroll. II. Quæ realiter distinguuntur magis separata sunt, quam quæ formaliter; et quæ formaliter, magis, quam quæ virtualiter distinguuntur. Ergo

Coroll. III. Distinctio realis est omnium *maxima*, formalis est *media*, distinctio autem rationis est omnium *minima*.

Def. VIII. Homogeneum (ex Græcis vocibus ὁμος *omos simile*, et γενος *genos gignere*) illud inpræsentiarum dicimus, quod ejusdem est naturæ, atque essentiæ, seu substantiæ.

Def.

Def. IX. Econtra eterogeneum (ex Græcis vocibus ετερος *eteros alter*, et γενος *gignere*) dicimus, quod ejusdem naturæ, et substantiæ non est.

Def. X. Extensio est quodcumque in longum, aut in latum, aut in profundum patet.

SCHOLION.

Duplicis ego generis extensionem distinguo; concretam scilicet, seu materialem, et est idem, quod extensum: et abstractam, et est illa, quæ in longum quidem, et latum, et profundum patet, sed non est composita, seu materialis, ut est illa, quæ concipitur in imaginatione spatii.

Def. XI. Soliditas est quædam exstensi qualitas, qua fit, ut una pars extensi ita alteri resistat, ut nullimode, ut eundem occupet locum, permittat.

SCOLION.

Hanc porro qualitatem Græci *Antitypian* vocant.

Def. XII. Impenetrabilitas est illa partium exstensi resistentia, qua fit, ne partes unius in alterius partes intrent, eundemque simul occupent locum. Ut, si in situlam aquæ plenam, alium vini cadum immittam, et ipsa aqua, vel vinum redundat, resistentia illa partium aquæ, qua fit, ne omnes vini partes eundem occupent locum, adeoque situla redundet, dicitur *impenetrabilitas*.

Def. XIII. Econtra penetrabilitas seu penetratio,

tio, est illa partium unius non resistentia, qua fit, ut duo ita simul uniantur inter se, ut tantum occupent loci, quantum unum ipsorum prius occupabat. Sic immittendo ego in cyathum vini plenum, alium aquæ cadum, si scyphus non redundabit, jam penetrata aqua cadi, cum poculo vini, dicetur.

Def. XIV. Commixtio dicitur, quum licet duorum extensorum partes inter se invicem confundantur, tamen nullimode compenetrantur.

Coroll. I. Ergo in compenetratione moles non crescit: econtra in commixtione.

Coroll. II. Ergo idea compenetrationis diversa est ab idea commixtionis.

Def. XV. Materiam, in præsentia rerum, dicimus corporum prima elementa: corpus vero, omne ex istis elementis compactum.

SCHOLION.

Circa notienem *materiæ* nolo vos fugiat diversimode Philosophos sensisse; Lockius enim materiam vocat totam solidam exstensionem. Veteres vero alii, corporum elementa materiam vocabant, ut fuit Plato, Aristoteles, aliique: alii autem immensam continuamque exstensionem, minime vero sensibilem, comprehensibilemque, sed nescio quod Chaos, ex quo omnia facta putabant, qui materiam hujusmodi, *increatam* ponebant. Verum eos satis abunde confutavimus.

PHI-

Philosophorum Sententiæ.

§. I. Cartesius, cum suis Asseclis, quum ponant essentiam corporis in trina dimensione; sequitur per ipsos, nihil extensum esse posse, quod corpus revera non sit. Hinc per eos spatium vacuum, ne possibile quidem esse, patet cuique. Verum, quam sit falsum id, pluribus ostendemus.

§. II. Spatium vacuum, de facto exstare, negarunt, Hermes Trismegistus, Zeno, Stoici, Thales Milesius, aliique ex veteribus; ex recentioribus vero negarunt pro aris, et focis Cartesius, cum Cartistis, Antonius Genuensis, aliique multi. Noster autem Cavensis licet spatium vacuum admittat, negat tamen illud esse infinitum.

§. III. Spatium, quod sit nescio quid *positivum*, *absolutum*, *æternum*, a materia, atque a Deo distinctum, independens, increatum posuerunt Democritus, Epicurus, Galenus, Philo Judæus, aliique permulti.

§. IV. Verum, quum istiusmodi sententia permultis absurda, et impia visa sit; ideo quidam alii spatium positivum quidem admittunt, quod tamen non sit necessarium, neque independens, sed a Deo creatum. Hujusce opinionis fuere B. Gregorius Nissenus (2), D. Ambrosius (3), Muschembroekius (4), aliique non pauci.

§. V.

---

(2) *Lib. I. contr. Eunomium*.
(3) *In Exam. lib.* 1. *cap.* 7.
(4) *Elem. Phys. tom.* 1. *cap.* 3.

§. V. Quidam alii spatium, seu corporum locum, aliud non esse dixerunt, quam immobilem contingentis terminum. Sic per auctores istos locus aquæ contentæ in situla est situla ipsa, seu ejus superficies, quatenus immota consideratur. Hujus sententiæ fuit Aristoteles (5), aliique.

§. VI. Antonius Genuensis (6) pro spatio, seu corporum loco statuit subtilissimum quoddam fluidum, quod et sibi, et aliis corporibus locus sit.

§. VII. Alii spatium, seu corporum locum, aliud non esse contendunt, nisi Dei immensitatem; quatenus nempe, Deus sua immensitate, et repleat omnem locum, et aliis corporibus præstat. Fuere ejus sententiæ Leonardus Lessius e Societate (*olim*) Jesu (7), Monteirus, Malebranchius, Newtonus, Clarkius, Henricus Morus, et alii multi.

§. VIII. Verum quicquid sit de istis omnibus diversis opinionibus, spatium aliud non esse, adsero, nisi infinitam quandam, immobilem, homogeneam, et penetrabilem extensionem corporum, atque aliarum substantiarum recipiendarum capacem. Quod ad evidentiam usque demonstrabo, ad calcem hujus cap. Schol. I.

PRO-

(5) *Lib. 4. Physic.*
(6) *Metaph. part. 1. cap. 8.*
(7) *Lib. de Div. Perfect.*

Propositiones.

Prop. I. *Spatium parvum, et quantumvis etiam magnum est omnino, et absolute possibile.*

D. I. p. Potest Deus omnipotentia sua extrahere, seu annihilare omnia, quæ continentur in aliquo cubiculo, corpora, et impedire simul, ne aliquod aliud ingrediatur loco extractorum. Qui Deum id facere non posse negat, jam Deo omnipotentiam tollit, quod est absurdum. Atqui posita istiusmodi corporum extractione in cubiculo a Deo facta, vacuum, et spatiose, seu spatialiter extensum in ipso relinquitur. Nam a muro ad murum est spatialis exstensio. Ergo spatium minimum omnino possibile est.

D. II. p. Supponantur sex superficies inter se ad instar cubiculi conjunctæ. Extrahatur per Dei potentiam omne, quod inter ipsos continetur, corporis. Cogitetur iterum istas superficies a se removeri, absque eo, quod permittatur a Deo, quod aliud corpus intret inter ipsas. Hoc modo spatium quantumvis magnum habebitur, juxta proportionem remotionis superficierum. Ergo spatium quoque quantumvis magnum omnino possibile est. Adeoque...

Scholion.

Hoc porro argumentum; contra Cartesianos, qui spatii possibilitatem negant, omnem vim habet. Est enim argumentum ad *hominem*, ut loquuntur Scholæ. Quippe per ipsos *quidquid in idea clara*

clara et distincta rei alicujus comprehenditur, *id de ea re certissime potest affirmari*. Igitur veritatis tessera, per ipsos, est idea clara, et distincta. Atqui nos idea clara, et distincta perspicimus, spatium esse possibile, modo a nobis nuper excogitato. Ergo revera possibile est. Ergo argumentum nostrum, contra ipsos, omnem vim habet. Verum Cartesianos audiamus. Sint itaque eorum

Objectiones.

Ob. I. Omne spatium sive magnum, sive parvum est spatium quoddam sine corpore. Atqui spatium sine ullo corpore est absolute et omnino impossibile. Ergo... Prob. min. Spatium sine ullo corpore absolute, et omnino est impossibile, si omne spatium non sit, nisi corpus. Atqui revera omne spatium est corpus. Ergo... Prob. min. Omne, quod in longum, latum, et profundum extensum est, revera est corpus. Atqui omne spatium est hujusmodi. Ergo...

Resp. Dist. maj. Omne, quod corporaliter, seu impenetrabiliter est exstensum, est corpus, c., quod incorporaliter, seu penetrabiliter est exstensum, corpus est, n. maj. atqui spatium omne est exstensum in longum etc. penetrabiliter, c. min, impenetrabiliter, n. Ergo... n. conseq. Itaque omne, quod impenetrabiliter exstensum est, est corpus. Nam omne impenetrabiliter exstensum, ut ita impenetrabile est, habet partes extra partes. Quod habet partes, extra partes, est compositum. Quod autem compositum est, in rerum

 na-

natura, constat elementis materialibus. Quod constat materialibus elementis, est corpus (Def. 15. huj.). Ergo omne, quod est impenetrabiliter exstensum, est corpus. Ab opposito autem, omne, quod penetrabiliter extensum est, non est utique corpus. Nam omne naturaliter impenetrabile est corpus. Atqui penetrabiliter extensum, non est naturaliter impenetrabile. Ergo quod penetrabiliter extensum est, non est corpus. Sic corpus mathematicum, quum sit penetrabiliter extensum, non est utique ut corpus naturale. Dari igitur potest extensum, quod corpus revera non sit. Quum itaque hujusmodi esse spatium contendamus; sequitur, ipsum exstare posse, quin sit corpus.

Inst. Atqui si datur spatium extensum, necessario est extensum impenetrabiliter: Ergo .... Prob. subs. Spatium est necessario impenetrabiliter extensum, si habet partes extra partes. Atqui habet partes extra partes. Ergo etc.

Resp. Dist. maj. Si habet partes *actuales*, et formales extra partes actuales item, et formales, c., si habet partes virtuales, seu imaginabiles, extra partes imaginabiles tantum, n.; contradistincta min. n. conseq. Itaque quod partes actuales extra partes actuales habet, est necessario impenetrabiliter extensum (naturaliter consideratum). Nam corpus naturale est impenetrabiliter extensum, quia habet partes extra partes. Ergo si impenetrabilitas habetur in eo, quod ita partes actuales, extra actuales partes, habet, ut unaquæque earum partium resistat, ne alia eundem

dem locum occupet; sequitur, quod omne, quod partes actuales extra actuales item partes habet, necessario esse debet impenetrabiliter extensum. Omne vero quod partes imaginabiles tantum habet, extensum impenetrabiliter non est. De facto: Suppone cubiculum diversorum corporum plenum. Dein extrahantur omnia, per Dei potentiam, et relinquatur cubiculum omni omnino corpore vacuum. Nonne imaginari partes poteris, illo in vacuo cubiculi, ubi erat corpus ex. caussa B, C, et alia? Ergo concipies in eo vacuo partes extra partes. Non erunt illæ actuales, quia ex hypothesi nullum corpus, adeoque nulla actualis pars in eo cubiculo est. Ergo erunt tantum imaginabiles. Jamvero est in eo cubiculo extensio. Est ergo *spatialis* dumtaxat, et penetrabilis, quia capax est, absque immutatione, recipiendi corpora. Igitur quod partes habet extra partes imaginabiles dumtaxat, non est impenetrabiliter extensum. Quum itaque hujusmodi sit spatium, sequitur, quod sit possibile absque eo, quod impenetrabiliter sit extensum.

Ob. II. Ex adductis duobus exemplis, in probationibus, non colligitur utrumque spatium esse possibile. Ergo in allatis exemplis abstractis (ajunt Cartistæ), ut supponitis, omnibus corporibus, jam et parietes cubiculi inter se contingerentur ad invicem, adeoque ex eo exemplo non colligitur spatium parvum esse possibile, et superficies inter se pariter tangerentur, adeoque ex isto non probatur spatii magni possibilitas. Ergo revera etc. Prob. ant. Ea ad invicem inter se contin-

 gun-

guntur, *inter quæ nullum intercipitur corpus, nullæque materiæ discluduntur* (8). Atqui, in allatis exemplis, neque inter parietes, neque inter superficies aliquid corporis, vel materiæ intercipitur. Ergo...

Resp. n. maj., c. min., n. conseq. Falsissimum itaque est, ea inter se contigua fieri, inter quæ nullum intercedit corpus. Nam, licet cubiculi inter parietes, in nostra hypothesi, nihil sit corporis, quum per hypothesim non moveantur à priori, et proprio loco, jam nequaquam continguntur sibi invicem, uti paullo consideranti patet. Igitur non sufficit, ut duo dissita inter se contigua fiant, remotio, seu vacuitas corporum tantum, quæ inter ea intercipiuntur, sed insuper opus est, ut, aut alteruter ad alterum, aut ambo ad invicem admoveantur. Quare falsissimum est, ea inter se contigua, et conjuncta esse, inter quæ nullum intercedit corpus. Quod quum ita sit, talpa cæcior sit oportet, qui non videat, ex allatis, in probationibus, exemplis, colligi peroptime posse, utriusque spatii possibilitatem. Quapropter inconcussum remanet, quod spatium etc.

Prop. II. *Exstat de facto spatium seu vacuum, et quidem infinitum.*

D. I. pars I. Si spatium non exstaret, jam nulla omnino corpora moveri possent in hoc univer-

(8) Ita habet Cartesius p. 2. Princ. n. 18., & cum eo Cartesiani.

verso. Nam si plenus perfecte est totus universus, quando movetur aliquod corpus, ex. gr. B, moveri debent omnia corpora, quæ exstant a corpore B, usque ad terminum universi. Unde movendo nos manus ad orientem, omnia, quæ habentur corpora, ad orientem, usque ad terminum universi, moveamus, necesse est. Hoc autem pugnat respectu nostri. Nam pugnat, ut aliquid producat id, quod suas vires excedit. Atqui nos, in hoc casu, produceremus id, quod nostras vires excedit, nempe moveremus unico, ac simplici motu manuum, infinita propemodum inertia corpora. Ergo pugnat, ut, movendo nos manus, versus (ex. gr.) orientem, omnia quæ nos inter, et terminum universi versus orientalem partem habentur, moveamus. Ergo pugnat esse omnia perfecte plena. Exstat igitur spatium, seu vacuum.

D. eadem I. p. II. Moveatur corpus, ex. gr., G, per *Hydrargyrum* seu *Mercurium*. Item, eadem prorsus celeritate, moveatur per aquam. Item per aerem. Hoc faciens, observabis, datum corpus G, plus resistentiæ invenire in mercurio, quam in aqua; plus in aqua, quam in aere. Quare resistentia mercurii, ad resistentiam aeris erit, ut 14000. circiter ad 1. Jamvero si tria hæc fluida æqualiter, et perfecte plena essent, eadem in eis, et æqualiter pariter esse deberet resistentia. Nam, hoc in casu, par materiæ quantitas in singulis eorum pellenda esset, transitu dicti corporis. Atqui resistentia æqualis et eadem non est, ut vidimus, et experiri possumus. Ergo dicendum,

majorem corporum quantitatem esse in mercurio, quam in aqua; majorem in aqua, quam in aere. Ergo majus spatium, et vacuum in aere, quam in aqua, et majus in aqua, quam in Hydrargyro. Quapropter exstat spatium.

D. eadem I. p. III. Si omnia essent æqualiter plena, jam eadem deberet esse gravitas in glomeribus, uno ex lana, altero ex plumbo mole tantum æqualibus. Nam omnia corpora sunt gravia ad proportionem quantitatis materiei in ipsis contentæ. Ergo ea corpora, quæ materiei quantitatem æqualem habent, æqualiter gravia esse deberent (omnibus Physicis notum). Quapropter, si omnia plena perfecte essent, jam eadem quantitas materiæ esset in glomere lanæ, quam in gravissimo plumbi. Ergo æqualiter graves esse deberent. Hoc autem falsum, experientiæque contrarium. Ergo systema Plenistarum absurdum. Quare exstat spatium (9).

D. II. pars. Mundus hic universus corporeus vel finitus est, vel infinitus. Si infinitus, jam spa-

(9) Eodem prorſus modo argumentatur Lucretius (*lib. de rerum Nat. v. 359.*). En ejus verba:

„ Denique, cur alias aliis præſtare, videmus
„ Pondere res rebus, nihilo majore figura?
„ Nam ſi tantundem eſt in lanæ glomere, quantum
„ Corporis in plumbo eſt, tantundem pendere par eſt,
„ Corporis officium quoniam premere omnia deorſum:
„ Contra autem natura manet ſine pondere Inanis.

Hæc porro, aliaque argumenta, ab iſto diverſa, pro ſpatio, idem Epicuriſta profert, quæ legantur, velim, ab eo, qui vacuum omnino exſtare, propugnare deſiderat.

spatium est infinitum. Nam in tali casu exsisteret corpus (quod est universus) infinitum. Ergo et locus infinitus; aliter enim, aliqua universi pars exstaret sine loco. Quod fieri, et concipi nequit. Siquidem omne corpus est extensum. Ergo nullum corpus concipi potest realiter exsistens, sine loco extenso, idest sine spatio. Ergo revera, si universus corporeus est infinitus, infinitum est spatium.

Sin autem mundus finitus supponatur, dico etiam in tali hypothesi, spatium infinitum esse. De facto: Sit universus corporeus finitus; in cujus termino supponamus exstare Petrum. Nunc vel Petrus extendere potest brachium extra universum; vel non. Si potest: ergo extra universum corporeum exstat quoque spatium. Si autem non potest, vel impeditur a corporibus extra universum exstantibus, vel a spiritu aliquo ibi exsistente. Non a corporibus, per hyp. mundi finiti. Neque a Spiritu aliquo, ibi exsistente 1. quia Spiritus loco non indiget circumscriptivo. 2. quia est penetrabilis. Ergo extra universum corporeum finitum, etiam exstat spatium. Jamvero si Petrus extendere potest manus usque ad tres palmos extra universum, potest etiam ipse, et quodcumque aliud corpus in infinitum usque extra universum progredi. Nam si Petrus, vel quodcumque aliud corpus, non potest progredi in infinitum usque extra universum, vel impeditur a corporibus extra universum exsistentibus, vel a Spiritu aliquo ibi exstante. Atqui a neutro istorum impediri possunt, ut vidimus. Ergo in infinitum usque pro-

gre-

gredi possunt. Ergo extra universum exstat undequaque infinitum spatium. Ergo spatium exstat et quidem infinitum. Q. E. O. (10).

Objectiones.

Ob. I. Nos spatium, seu vacuum admittere non debemus, si alio medio explicare possimus corporum motus. Atqui revera alio medio corporum motus explicare possumus, sine vacuo. Ergo. Quare nulla propositio. Prob. min. Corporum motus explicare peroptime possumus, data quadam fluidissima, ac subtilissima materia. Ergo etc. Prob. ant. Per hanc fluidissimam materiam fieri peroptime potest, ut statim, ac corpus aliquod a proprio loco moveatur, locus corporis moti immediate impleatur; et sic semper successive fiat; sicuti est aqua respectu piscis, qui in ea innatat. Ergo etc.

Resp. n. ant. et conseq. Igitur falsum omnino est Cartistarum argumentum, quod scilicet supponat, corpus moveri in subtilissimo fluido, antequam habeat alium locum vacuum, ubi seipsum re-

---

(10) Eodem prorſus argumento utitur Lucretius (*lib. 1. de nat. rerum.*); Si quis extra finem univerſi, ait, jaciat volatile telum, aut ultra ejuſdem univerſi finem, ſeu terminum volabit, aut in termino ſiſtet; quodcumque iſtorum dixeris, ſpatium, ſine fine, eſſe, probabis.

„ Nam ſive eſt aliquid, quod prohibeat, officiatque,
„ Quominu', quo miſſum eſt, veniat, finique locet ſe?
„ Sive foras fertur, non eſt ea fini' profecto.

reponat. Nam motus aliud non est, nisi translatio corporis de loco in locum. Ergo antequam moveatur, necesse est, ut alius sit vacuus locus, in quo se recipiat. Aliter enim auferretur a loco vacuo, et poneretur in loco pleno, idest in *non loco*, seu in eodem loco, quo aliud exstaret corpus, quod fieri nequit. Nam omne corpus est impenetrabile. Ergo in Plenistarum sententia explicari non potest motus. Ergo si datur motus in universo corporeo, datur et spatium. Atqui revera datur motus. Ergo datur et spatium.

Aqua porro respectu piscis non eo habetur modo, quo adversarii supponunt; sed quia vacuum disseminatum dispersum est in ea; ideo aqua cedit ante piscem se moventem, eo quia habet, dicti vacui disseminati, locum. Igitur in natatione piscis, piscis quidem a proprio loco transit in locum aquæ, aqua vero cedit, quia se recipit in disseminato vacuo, donec mediante isto vacuo, se recipiat in priorem piscis locum. Idque constat clarius ex vase aliquo, seu ampulla aquæ plena, et perfecte obturata, in qua si imponas aliquem lapillum, et sursum versus eam moveas, clare observabis, lapillum faciliter in illa ampulla, aquæ plena, moveri, eo quia licet sit aquæ plena, non deest tamen in ea disseminatum spatium, quo mediante aqua cedit in motu illius lapilli. Quod si istiusmodi spatium in illa ampulla non esset, dicimus, ex ratione adducta, quod lapillus nullimode moveri in ea ampulla posset.

Inst. Atqui fluidissima illa materia, in eodem instanti, potest parte altera ejus dare locum corpori

pori moto, et altera locum a corpore relicto occupare, absque eo, quod admittatur vacuum disseminatum. Ergo etc. Prob. subs. Partes circuli lignei, vel alterius materiæ circa centrum agitati, eodem ipsissimo instanti, occupant locum ab aliis partibus anterioribus derelictis. Ergo a pari, fluidissima illa materia...

Resp. C. ant. n. conseq. et parit. Paritas igitur desumpta a partibus circuli circumrotati, nihil contra nostram propositionem Plenistas juvat. De facto partes circuli constituunt, simul junctæ, circulum integrum. Ergo continuum corpus. Quid igitur mirum, si una pars, statim ac in instanti occupet locum ab alia derelictum, et alia alium derelictum ab alia? Non idem tamen est de corpore contiguo, quod constituunt corpus motum, et fluidum subtilissimum. Nam ut moveatur in illo fluido corpus aliquod, necesse est, ut partes fluidi ante se positi impellat, ut locum ipsi cedant. Jamvero partes illæ locum nullimode cedere possunt, nisi et ipsæ alium locum, ubi se ponant prius vacuum habeant, quod habere nequeunt, nisi aliquod exstet spatium. Ergo nunquam, si non aderit aliquod spatium, moveri poterit subtilissimum fluidum Plenistarum: adeoque nec corpus quodcumque. Atqui in universo corpora moventur. Ergo exstat in eo spatium vacuum.

Præterea regerere non valet illud, quod nempe ad impulsionem, quam, ante se, facit corpus motum, in fluidum, fluidum illud motu quodam circulari, cedat quidem locum ante motum, et ipsum

ipsum se recipiat (proportionaliter motui) in locum a corpore moto retro derelicto. Id enim fieri nequit. Nam in illa impressione impellentis fluidum, vel impellens illi fluido motum circularem communicaret, vel aliud fluidum ante ipsum positum. Jamvero neutrum istorum id efficere potest. Non enim primum, quia tota constat Mechanica, quod *omne impellens, recte semper impellit.* Non secundum; quia partes fluidi, ante fluidas partes, impulsas, locum cedere nequeunt, nec aliæ circa easdem impulsas partes, si non adsit vacuum. Ergo nullimode motu quodam circulari fluidum subtilissimum potest, sine spatio vacuo, cedere ante impellens, et se recipere in locum ab impellente relictum. Dato igitur motu, in rerum universitate, datur etiam spatium vacuum. Exstat igitur spatium vacuum.

Objectio II.

Contra secundam partem. Absurdum est, adserere, Deum, aliquid frustra, sive superflue molitum fuisse. Atqui admittendo spatium infinitum, debemus adserere Deum aliquid frustra sive superflue operatum fuisse. Ergo, ne hoc absurdum dicatur, fateri debemus spatium non exstare infinitum. Prob. minor. Spatium, ex dictis in probationibus, inservire debet ad corpora capienda, atque ad eorumdem corporum motus perficiendos. Atqui corpora, simul juncta, finita sunt. Ergo finito tantum loco, seu spatio, opus habent. Quare admittendo spatium infinitum, jam adsere-

re-

rere debemus, Deum frustra aliud operatum fuisse, nempe plus spatii creasse, quam necessé fuisset.

Resp. C. maj. c. min. c. primam consequentiam. Dist. secundum consequens. Si spatium productum esset a Deo, et pro recensitis finibus tantum, Deum aliquid frustra operatum fuisse, admittere deberemus, c. secus n. conseq. Igitur si spatium fuisset aliquid productum a Deo, et pro recensitis finibus dumtaxat, nempe ut corpora contineret, aditumque daret eorumdem corporum motibus, revera deberemus adserere, Deum aliquid frustra fuisse operatum, et superfluum. Nam corpora sunt finita; ergo ad ea capienda, et ad commodum eorum motibus præstandum sufficisset spatium finitum. Quare si Deus spatium infinitum produxisset, et tantum pro recensitis finibus, revera aliquid frustra operatum fuisse adserere deberemus. Jamvero spatium vacuum, quod infinitum admittimus, non fuit a Deo productum, nec a Deo dependet, sicuti nec pendent possibilitates intrinsecæ, et impossibilitates metaphysicæ rerum. Et re quidem vera, licet Deus ubique præsens sit, et quidem substantialiter, et id necessario, aliter enim esset mutabilis, quod pugnat (p. 1. c. 5.) (et p. 2. c. 1.); concipiatur tamen mente (liceat hac impossibili hypothesi uti), Deum in unum quoddam indivisibile punctum suam totam substantiam retrahere. Nonne concipies etiam spatium exstare infinitum? Nec potest item annihilari. Nam supponamus Deum annihilare omnia quæcumque imaginari possumus, una

cum

cum spatio, semper concipiemus, de facto exstare spatium infinitum, illa ratione, quam in probatione 2. partis hujusce propositionis attulimus. De facto reducat Deus omnia in nihilum. Nunc suppone solum Antonium exstare. Hoc posito, vel Antonius in infinitum usque moveri potest, vel non. Si potest, intentum habemus. Si autem non potest, vel a Dei immensitate impeditur, vel ab alio corpore, vel a nihilo. Jamvero non a Dei immensitate. Est enim illa penetrabilis; aliter esset corporea. Non ab alio corpore; quia non exstaret, ex hypothesi. Non a nihilo, quia nihili nullæ sunt proprietates, et attributa (Def. *6.* c. 1.). Posset igitur Antonius in infinitum usque moveri. Ergo infinitum exstaret spatium, etiam in hypothesi, quo Deus omnia in nihilum reduceret. Spatium igitur est a Deo independens, et quidem infinitum.

Inst. Atqui spatium nequit esse independens, et infinitum, sed a Deo, et finitum, productum. Ergo etc. Prob. subs. Si esset independens, et infinitum, jam esset ens a se; et ideo infinitæ entitatis. Atqui hoc repugnat, quia plura entia infinitæ entitatis impossibilia sunt (p. *6.* c. 2.). Ergo repugnat spatium esse independens, et infinitum, sed debet esse a Deo, et finitum.

Resp. Dist. maj. Si nos admitteremus spatium esse substantiam, c.; si admittimus spatium non esse, nisi quandam capacitatem negativam corporum recipiendorum tantum, n. maj. c. min. n. conseq. Igitur si nos admitteremus spatium esse substantiam aliquam infinitam, et independentem,

reve-

revera esset ens a se, et infinitæ entitatis, Nam illud dicitur, et est, ens a se, quod habet proprietates entis a se. Atqui si spatium a nobis admissum esset substantia infinita, et independens, jam proprietates haberet entis a se, Ergo revera, si nos admitteremus spatium esse substantiam aliquam, infinitam, et independentem, reipsa spatium esset ens a se, et infinitæ entitatis. Quod de facto esset maximum absurdum. Nam, hoc in casu, duo exstarent entia independentia, et infinitæ entitatis, quod (p. 6. c. 2.) pugnat,

Jamvero nos spatium, quod admittimus, dicimus non esse aliud, nisi quandam capacitatem negativam corporum recipiendorum tantum, quæ nullimode substantia est, neque corpus, neque spiritus. Non corpus. Nam alioquin deberemus spatium de spatio inquirere, quod est contra hypothesim: supponimus namque spatium non indigere spatio alio. Non spiritus. Nam sit Deus immensus spatium. Nunc suppone (licet per impossibilem hypothesim) Deum reducere totam substantiam suam in aliquo loco finito, ex. gr. A, Hoc posito vel extra locum A, possunt corpora poni, vel non. Si possunt, jam exstat capacitas a Deo independens, quæ corpus non est. Si autem non possunt poni, a quonam impediuntur? A nullo scilicet. Ergo exstat spatium infinitum, quod neque corpus est, neque spiritus, neque substantia, sed quædam capacitas tantum negativa corporum recipiendorum, quam independentem a Deo admittere, non est absurdum. Potest itaque spatium esse independens, et infinitum,

tum, absque eo, quod aliquod sequatur absurdum. Ergo etc. (11).

Prop. III. *Si Democritus, et Epicurus, cum asseclis, spatium, quod admittunt absolutum, increatum, independens, a Deo, atque a materia distinctum, substantiam quandam mediam inter Deum, et materiam, intelligant; dicimus, id spatium non exstare, nec possibile esse.*

D. I. P. Nam, si hujusmodi *substantia media*, increata, et independens exstaret, procuidubio rationem exsistentiæ suæ, et essentiæ in seipsa haberet (aliter non esset independens, quod est contra hypothesim); adeoque esset ens a se, et per consequens, immutabilis (p. 2. c. 1.), et infinitæ entitatis (p. 5. c. 2.). Duo ergo exstarent entia infinitæ entitatis, Deus nempe, et spatium. Jamvero est impossibile (p. 6. c. 2.) plura entia infinitæ entitatis exstare. Ergo impossibile est, posse hujusmodi substantiam mediam exstare. Non exstat igitur.

D. II. P. Si intrinsece possibilis esset, exstante Deo

(11) Maximæ, atque inextricabiles circa ſpatium vacuum quæſtiones, quæ hominum, doctiſſimorum præſertim, ingenia torſerunt, torquentque nunc, ad hæc reducuntur. I. eſtne poſſibile ſpatium vacuum, an non? II. Exſtat iſtiuſmodi ſpatium, an purum eſt, putidumque Vacuiſtarum commentum? III. Et ſi forte exſtat, eſtne ſubſtantia, an potius accidens? IV. Eſt finitum, an infinitum? V. Æternum, á ſe, & independens, an potius á Deo creatum? Verum & hæc omnia, & ſimilia, ex duabus hucuſque, a nobis vindicatis, propoſitionibus, & ex aliis, in præſenti capite, demonſtrandis, evidenter ſoluta manebunt.

Deo ente perfectissimo, hujusmodi media substantia, jam saltem mente concipere deberemus, duo entia infinitæ entitatis posse esse exsistentia. Jamvero id nec mente concipere possumus; quia omnino impossibilia sunt (p. 6. c. 2.). Ergo possibilis non est. Ergo si Democritus .. . Q.E.O.

Prop. IV. *Deus, etiam omnipotentia sua, nequit spatium destruere, seu annihilare.*

D. Certe, sit cubiculum B, ex quo extrahat Deus omnia corpora, nec permittat parietes, aut laquear, cum pavimento, inter se uniri. Habebimus cubiculum spatio plenum. Jamvero si Deus, omnipotentia sua, spatium istud annihilare posset, jam posset facere, quod eodem tempore, in dicto cubiculo, esset capacitas corporum recipiendorum, et non esset. Esset, quia parietes non unirentur inter se, per hypothesim; non esset autem, quia destructum putaretur. Atqui pugnat idem simul esse, et non esse (ax. 1. c. 1.). Ergo pugnat, quod Deus possit eodem tempore, et in eodem loco efficere, ut sit simul, et non, capacitas corporum recipiendorum. Jamvero id absurdum sequeretur, si Deum posse spatium annihilare adsereremus; ne ergo id sequatur, dicendum, quod Deus etc.

SCHOLION.

Quod de spatio cubiculi, hic, dixi, de spatio infinito dictum volo, ut, eodem modo ratiocinando, cuique attendenti patet, quod Deus illud adnihilare non possit. Destrui a Deo quidvis concipia-

piatur, semper tamen capacitatem habebimus infinitam, et negativam corporum recipiendorum.

Prop. V. *Si Deus creasset spatium, illud profecto adnihilare posset, et destruere.*

D. Inter nihilum, et aliquid distantia exstat infinita. Ergo tum ad aliquid producendum ex nihilo, tum ad aliquid in nihilum reducendum, æqualis infinita potentia requiritur. Ergo si in Deo fuisset potentia creandi spatium, esset et nunc potentia illud in nihilum reducendi. Quocirca ...

Prop. VII. *Spatium vacuum non est a Deo creatum.*

D. Nam si spatium vacuum esset a Deo creatum, profecto Deus illud annihilare posset, et omnino destruere (p. ant.). Atqui Deus, etiam omnipotentia sua, nequit spatium destruere, seu annihilare (p. 4. huj.). Ergo etc.

Coroll. Spatium igitur est a Deo independens (*).

Prop. VII. *Totus mundus, seu mundana materia, non est infinite extensa.*

(*) Caveat lector, ne hallucinetur, quando dicimus, ſpatium *exstare*, eſſe *independens*, *æternum*, *simplex*, *increatum*, & ſimilia, & concipiat ſpatium eſſe ſubſtantiam, vel aliquod poſitive exſiſtens iis præditum proprietatibus. Spatium a nobis hic admiſſum *pura putaque* eſt *capacitas negativa corporum recipiendorum*: illudque dicimus *æternum*, *independens* &c. eo modo, quo *intrinsecæ rerum possibilitates* (vide ſchol. def. 2. c. 1. ejuſque coroll. 1. & 2.) ſimiliter nominamus. Legatur reſp. ad inſt. objectionis 2. p. 2. huj. c. & prop. 3. ejuſd. c. necnon ſchol. 1. ad calcem huj. cap. cum ſeq. corollariis.

D. I. Materia mundana non est infinite extenxa, si exstat spatium aliquod vacuum. Siquidem hoc in casu, ubi spatium vacuum esset, non esset materia, ibique finem haberet. Jamvero exstat de facto spatium vacuum (p. 2. huj.). Ergo etc.

II. Mundus totus a Deo creatus est (p. 5. c. 6.). Ergo si esset infinite extensus, Deus communicasset illi attributum *infinitum immensitatis*. Jamvero nullum Deus attributum infinitum potest creaturæ communicare. Nam si posset unum, posset omnia eidem communicare. Atqui Deus nequit omnia sua attributa alicui communicare. Nam I. duo entia infinitæ entitatis impossibilia sunt (p. 6. c. 2.). II. Æternitatem, et independentiam communicari posse alteri, pugnat. Ergo neque unum attributum infinitum communicare potest. Nequivit igitur mundo *infinitam* extensionem communicare. Ergo reipsa etc. (12).

Prop. VIII. *Corporum locus nequit esse ambientis corporis superficies.*

D. Nam si locus corporum esset superficies corporis ambientis, jam mundi locus esset superficies alterius corporis, extra ipsum. Et quoniam omne corpus, quia extensum, et impenetrabile, in-

(12) Deum itaque non poſſe alicui infinitum aliquod attributum communicare, patet apertiſſime ex demonſtratis. Verum ſi lector alias videre cupiat demonſtrationes, Theologos adeat, ubi de communicatione Idiomatum agunt in Tract. de Incarn. Divini Verbi.

indiget loco, etiam locus mundi indigeret alterius corporis superficiei, et sic deinceps. Nunc, vel mundus, seu materia mundana est finita, vel non. Si non est infinita, jam locus mundanæ materiæ non est alterius corporis superficies, quia hæc superficies indiget loco vacuo et ipsa: aliter enim exstaret aliquod corpus sine loco, quod pugnat cum extensione, et impenetrabilitate ejus. Si autem dicitur materiam esse infinitam; itaut superficies corporis unius, habeat pro loco corporis alterius superficiem, et sic in infinitum; absurdum palmare dicitur. Materia enim mundana infinita esse non potest (p. ant.). Quare corporum locus nequit esse alterius corporis ambientis superficies.

Prop. IX. *Fallitur Genuensis adserendo corporum locum non esse, nisi subtilissimum quoddam fluidum, seu subtilissimam, nescio quam materiam.*

D. I. Et vere. Materia quæcumque corporea, quantumvis subtilissima, extensa est, et impenetrabilis. Ergo et loco penetrabili eget, et extenso, qui materia non sit, aliter deberemus locum de loco quærere in infinitum, quod nec ipse concedit Genuensis. Ergo etc.

II. Omnis materia corporea, iisdem essentialibus, et universalibus attributis gaudet. Quare si aliqua materiæ pars nequit esse sine loco, omnis materia loco aliquo indiget. Jamvero, per Genuensem, corpora, quæ ipse crassiora vocat, indigent loco. Ergo et tota materia. Atqui ultimum fluidum est materia, per Genuensem. Ergo et ultimum Genuensis fluidum loco aliquo eget,

et quidem a se diverso ; aliter si ipsum sibi locus esset, posset esse aliqua materiæ pars, quæ sine loco exstaret : hoc est nullum occuparet locum. Quod cuique, absurdum esse, patet. Quocirca (13).

Prop. X. *Locus corporum seu spatium nequit esse immensitas Dei.*

D. I. Si Dei immensitas esset locus corporum, seu spatium vacuum, Deus contineret in se formaliter mundum. Nam in hoc casu Deus deberet esse intime unitus, et compenetratus cum materia, et corporibus mundanis. Jamvero Deus nequit in se formaliter mundum continere. Nam id est

---

(13) Præterea, quum adſerat Genuenſis fluidiſſimam illam materiam & aliis corporibus, & ſibi locum eſſe, abſurdum dicit, & pugnans. Nam ipſemet aſserit : *locum corporum esse aliquem, necesse est.* Item per ipſum, materia ſunt corporum elementa, corpus vero compoſitum ex illa materia (Metaph. t. 1. def. 67.). Hinc, vel ultimum fluidum eſt & ipſum corpus, vel ſunt tantum ſimpliciſſima elementa corporum. Si eſt corpus, jam indiget loco a ſe diverſo. Siquidem per ipſum Genuenſem : *locum corporum esse aliquem necesse est*, & quidem diſtinctum a corporibus, ut patet ex eo, quod ipſe omnibus corporibus locum ab ipſiſmet diverſum aſſignat. Adeoque fluidum nequit eſse corporum locus, quia ipſum indiget alio loco. Si porro per ultimum fluidum intelligat ſimpliciſſima corporum elementa, vel ipſa elementa denſum quoddam, adeoque corpus conſtituunt ; aliter ipſemet Auctor ſpatium vacuum admittat, neceſse eſt, cujus eſt infenſiſſimus hoſtis. Si ergo fluidum illud ultimum, corpus eſt ; etiam loco a ſe diverſo eget ex ipſomet Genuenſe. Adeoque nequit eſse aliis, & ſibi locus ; quare ne locum quæramus loci, repudietur *fluidum* iſtud, opus eſt, corporumque locus non eſse dicatur.

est Spinozæ, Tollandi, aliorumque impiorum systema absurdissimum. Ergo Dei immensitas nequit esse corporum locus seu spatium vacuum.

II. Si Deus esset corporum locus, seu spatium vacuum, jam contineret in se corpora omnia, adeoque esset in eo potentia passiva. Jamvero in Deo nequit esse potentiæ passiva: est enim *purus actus*, ut ajunt Theologi (14). Ergo etc.

SCHOLION.

De facto, Deum esse corporum locum non posse, constat ex eo, quod si mente fingamus (licet hypothesi impossibili) Deum totam suam naturam in aliquem locum determinatam retrahere, jam sine Dei immensitate, etiam exstat capacitas negativa corporum recipiendorum, quam spatium vacuum vocamus. Est item spatium a Deo independens (Corol. p. 6. huj.). Non est igitur Dei natura seu immensitas.

OBJECTIONES.

Ob. I. Quod constat ex sacris Litteris, certissimum est: atqui constat ex sacris Litteris, Deum sua immensitate esse spatium. Ergo etc. Prob. min. Actorum 17. legitur: *In ipso* (Deo scilicet) *vivimus, et movemur, et sumus*: Ergo etc.

 Resp.

(14) Legatur S. Thomas *lib. 1. contr. Gentiles cap.* 16.

Resp. Explicando auctoritatem Apostoli. *In ipso* etc. tamquam in caussa efficiente, et conservante, c., tamquam in loco continente, seu spatio, n. quare ... n. conseq. Omnia igitur sunt in Deo, tamquam in caussa efficiente, et conservante. Nam Deus est ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo debet in se omnium contingentium rationem continere (p. 2. c. 2.). Omnia igitur contingentia exsistentia, rationem exsistentiæ suæ in Deo continent. Ergo omnia sunt in Deo, tamquam in caussa efficiente. Item causa efficiens hujusce mundi adspectabilis est Deus (p. 5. c. 6.): ergo nos omnes, omniaque alia, quæ in mundo sunt, in Deo sunt, tamquam in caussa efficiente. Deinde Deus conservat mundum, et omnia, quæ ipse in eo creavit (hyp.): ergo ratio conservationis eorum, quæ in mundo sunt, adeoque ratio conservationis exsistentiæ nostræ, in Deo est. Sumus ergo in Deo, tamquam in caussa efficiente, et conservante.

Non sumus autem in Deo, tamquam in loco continente, seu spatio, ut adversarii prætendunt. Nam si in Deo, tamquam in loco continente, essemus, vel essemus ejusdem substantiæ partes, vel in eo formaliter contineremur. Jamvero utrumque absurdum, quia in utroque casu admitteretur Spinozismus. Ergo revera in Deo esse non possumus, tamquam in loco continente, seu spatio. Ergo Dei immensitas nequit esse corporum locus, seu spatium.

Inst. Atqui illud Apostoli significat, quod nos vivimus, et movemur, et sumus in Deo, tamquam

quam in loco continente, seu spatio. Ergo nulla data explicatio. Prob. subs. In explicandis sacris Scripturis, debemus uti sacris interpretibus. Atqui Sacer Interpres Cornelius a Lapide dicit (in ver. 28. cap. 17. Act.), quod hæc verba Pauli indicant nos vivere, moveri, et esse in Deo, tamquam in loco continente, seu spatio, et quidem multis argumentis. Ergo etc.

Resp. Ad argumentum istud; et primo dico, quod antequam id opponat, et probet Cornelius citatus, explicat ea Apostoli verba, sicuti nos explicavimus in allata responsione. Unde habet: „ „ In ipso, idest per ipsum, ait S. Cyrillus. Pro- „ bat enim Paulus, Deum dare omnibus vitam, „ inspirationem, et omnia, ex eo, quod in ipso, „ idest per ipsum vivamus, moveamur, et simus. „ Ergo sumus in ipso tamquam in caussa efficien- „ te et conservante„. Igitur hæc, quam dedimus, est vera verborum sacrorum explanatio. Adeoque ex iis Pauli verbis non potest colligi, Dei immensitatem esse spatium, seu corporum locum, etiamsi stemus adamussim sacris interpretibus.

Resp. II. Dato etiam, quod laudatus Sacer Interpres explicaret tantummodo pro loco continente seu spatio illa Apostoli verba, quid inde? Ergone ipsi stare deberemus in hoc negotio? Nequaquam. Nam I. agit ibi pro sententia Societatis suæ. Subscribitur siquidem Leonardo Lessio, qui (*lib. de Div. Attributis*) eam ponit, et probat sententiam. Quoniam vero nemo judex in propria caussa, ideo explanatio illa nullius est ponderis contra nos. II. Critices sacræ regula caute ad-

admonemur; *sacros Interpretes*, *in rebus Philosophicis*, *tantæ esse auctoritatis*, *quantæ sunt Philosophi alii*. Et ratio est, quia in rebus Philosophicis non Christum, non Spiritum Sanctum, sed Platonem, Aristotelem, ceterosque Philosophos, magistros, habuerunt. Cornelio igitur hac in re non stamus. Quare dicimus, quod illa Apostoli verba non indicant Dei immensitatem esse vacuum, seu corporum locum: Ergo...

Ob. II. Sententia illa, quæ Sanctis Ecclesiæ Patribus adversatur, tenenda non est. Atqui talis est sententia nostra. Ergo...

Resp. Dist. maj. Sententia illa, quæ *omnibus* Sanctis Ecclesiæ Patribus etc. c.; quæ adversatur *aliquibus* tantum, negò maj. Dist. min. Atqui etc. idest adversatur aliquibus Ecclesiæ Patribus, c.; omnibus, n. min. Quare, n. conseq. Sententia igitur illa, quæ omnibus Sanctis Ecclesiæ Patribus adversatur, tenenda non est: Nam illa sententia tenenda non est, quæ sacræ Traditioni adversatur. Atqui sententia, quæ omnibus Ecclesiæ Patribus adversatur, sacræ Traditioni adversatur. Omnes namque Patres, ubi conveniunt in aliqua sententia, sacram constituunt Traditionem. Ergo revera sententia illa, quæ sanctis omnibus Ecclesiæ Patribus adversatur, tenenda non est.

Econtra vero, teneri debet illa sententia, quæ vera nobis videtur aliquo modo, licet aliquibus tantum Ecclesiæ Patribus adversetur. Nam ita est, si aliqua habentur pro veris ab Ecclesia Universali, licet aliquibus Ecclesiæ Patribus adversentur, præsertim illis, qui ante Ecclesiæ definitio-

tionem ſcripſerunt. Atqui multa ſunt, quæ tamquam veriſſima definita ſunt ab Eccleſia, licet aliquibus Patribus, qui ante iſtas definitiones fuerunt, adverſentur. Ergo teneri debet illa ſententia etc. Jamvero ſententia noſtra aliquibus tantum Patribus adverſatur, non omnibus. Ergo tenenda eſt.

Ceterum omnia, quæ ſpatio favere videntur, Sanctorum Patrum dicta, et Scripturarum Sacrarum oracula, itaut Dei immenſitatem videantur pro ſpatio, et corporum loco ſtatuere; revera ita non eſſe, colligere debemus ex eo, quod I. emphatice ibi S. Scripturæ, et conſequenter PP. loquantur, ut facilius Dei nobis immenſitatem, et infinitam virtutem, ubique operantem, ſignificent, ut præclare advertit Clariſſimus Genuenſis (15). II. Ex eo, quod adſerere Dei immenſitatem eſſe ſpatium, inclinat ad Spinoziſmum, ut idem Gen. (2) advertit.

Item, dato etiam, aliquos Patres revera conſtituiſſe Dei immenſitatem pro corporum loco, negamus ita revera eſſe, ex hucuſque adductis rationibus.

SCHOLIUM I.

His ergo omnibus in antecesſum poſitis, nos dicimus, ſpatium, ſeu corporum locum aliud non eſſe,

(15) Metaph. *tom.* 1. *ſchol. prop.* 108.
(2) Ibidem.

esse, nisi *capacitatem* quandam *negativam corporum recipiendorum*, infinitam, æternam, independentem, increatam, penetrabilem, quæ substantia non sit, sed pura capacitas rerum recipiendarum. Nec id absurdum videri debet. Sicuti nempe rerum essentiæ intelligibiles, et intrinsecæ rerum possibilitates sunt a Deo independentes, ita etiam dicimus esse spatium istud, seu istam a nobis admissam corporum recipiendorum negativam capacitatem. Ergo.

Coroll. I. Spatium erat ante mundi creationem ab æterno.

Coroll. II. Est etiam nunc; in eoque mundus a Deo collocatus est, tamquam in loco ipsum mundum continente, et penetrante.

Coroll. III. Ablato, seu destructo mundo, perstabit etiam spatium, seu *capacitas* corporum recipiendorum *negativa*.

Scholium II.

Quum igitur spatium ab æterno exstiterit (Corol. 1. schol. ant.), nunc videamus oportet, an mundus hic adspectabilis ab æterno creatus sit, atque in spatio collocatus, vel an potuit saltem creari ab æterno.

CA-

CAPUT IX.

In quo demonstratur I. Mundum creari non potuiſſe a Deo ab æterno. II. Creatum revera ab æterno non fuiſſe. III. Ergo creatum fuiſſe in tempore, hoc est habuiſſe initium.

DEFINITIONES.

Def. I. Duratio est permanſio rei in esse: quæque vel æternitas est, vel tempus.

Def. II. Æternitas est duratio, sine successione, quæ principio caret, et fine (1).

SCHO-

(1) Obſervatione quarundam apparentiarum in regalibus periodis, viſibiliterque æquidiſtantibus, nos quarundam longitudinum, atque menſurarum ideas acquirimus de duratione. Item quia faciliter poſſumus imaginari toties, quoties volumus, has temporum menſuras, durationem quaſi realiter exſtare concipimus, quæ de facto non exſtat. Sic faciliter imaginamur diem craſtinum, diem heſternum, annos, menſes &c. Tandem conjungendo annos, vel menſes, dies &c. & quidem ſine fine, unica, & abſtracta conceptione, æternitatem percipimus. Et ſic æternitatis *ideam* habemus: *Ideam*, inquam, *valde imperfectam*, & *confusissimam*. Quum enim mens noſtra finita ſit, æternitas vero undequaque infinita: quumque nos, ideis *rerum successivarum* plerunque aſſueti; æternitas autem ſit quiddam permanens *sine successione*; impoſſibile nobis ſit, oportet, ideam perfectam, & claram æternitatis, poſſe habere.

Scholion.

Multum diſcrepant auctores in aſſignando veram adæquatamque æternitatis definitionem. Sic Boetius (*de consolatione Philos. lib.* 5. *prop.* 6.) eam definit. *Interminabilis vitæ tota simul, et perfecta possessio*. Hoc eodem modo eandem definit D. Thomas, aliique. Verum repudiatur talis definitio ab auctoribus Cyclopediæ Anglicanæ. Cenſurnus æternitatem definit: *Duratio, quæ semper exstitit, exstabitque semper*. Alii definiunt: *Perpetuum nunc, seu nunc semper stans*. Alii ajunt æternitatem eſſe *durationem simul exsistentem, absque partium successione a parte ante, vel post*. Sed quidquid alii dicunt, nobis definitio modo data magis alludet. Ceterum æternitatis definitionem adæquatam nec dedit, nec dare aliquis ex hominibus poteſt. Mens enim humana finita, quomodo nobis notificare infinitam durationem poterit, quam capere, et ipſi impoſſibile eſt (2)? Hac igitur noſtra definitione contenti ſimus.

Def. III. Æternum dicimus illud, quod non habuit principium, nec finem habebit.

Scho-

(2) Hinc ſapienter Hermes (apud Lactantium *de orig. err. cap.* 9.) „: mortale, ait, immortali, temporale perpetuo, & corruptibile incorrupto propinquare non poteſt „.

SCHOLION.

Dividunt Scholastici *æternum* in æternum *a parte ante*, et in æternum *a parte post*. Primum dicunt illud, quod principium non habuit, seu quod ab æterno exstitit. Posterius vero, quod, licet habuit principium, fine tamen carebit; ut Angelus, mens humana. Hoc ultimum *perpetuum* etiam vocant. Quod autem nec principium habet, nec finem habebit, *sempiternum* dicitur, ut Deus.

Def. IV. Instans, seu momentum temporis, inpræsentiarum, vocamus illam temporis partem omnino indivisibilem.

Def. V. Ens *altero prius* dicitur, si tempore, vel natura, vel ordine, vel honore, aut ratione caussæ antecellit illud.

SCHOLION.

Ergo et posterius dicetur altero, si illo, aliquo ex recensitis modis inferius est. Si autem, in istis modis omnibus, duo, vel plura conveniunt, *æqualia perfecte* dicuntur, vel *in omnibus simul posita*: si in uno conveniunt, *æqualia perfecte* in eo, in quo conveniunt, vel *in eo simul posita* appellantur. Ut autem recensiti modi facilius retinerentur memoria, duobus sequentibus versiculis comprehenderunt scholæ Philosophi.

Tempore, natura prius, ordine dic, et honore:
Causaque causato dicitur esse prior.

Ex his porro manifeste constat

Co-

Coroll. I. Si mundus potuisset creari ab æterno, æqualis Deo in æternitate potuisset esse.

Coroll. II. Si de facto creatus est ab æterno, est *æternitate simul cum Deo positus*, seu Deo *æqualis in æternitate*.

Philosophorum Sententiæ.

§. I. Mundum ab æterno creari potuisse, sed de facto ab æterno non fuisse creatum, adseruit B. Thom. Aquinas (3) cujus verba hic adferre, abs re non esse, putavi: „ Licet igitur (ait. loc. „ cit. c. 9.) Deus ab æterno fuerit sufficiens caus- „ sa mundi, non tamen oportet, quod ponatur „ mundus ab eo productus, nisi secundum quod „ est in prædefinitione suæ voluntatis, ut scili- „ cet habeat esse post non esse, ut manifestius „ declaret suum authorem „. Hæc, aliaque similia, habet in ea quæstione.

§. II. Verum mundum ne potuisse quidem creari ab æterno adfirmant (contra B. Thomam) alii cum Clarissimo Viro Edmundo Purchotio (*in Exercitationibus Ontologicis disp.* 4. *sectio* 2. *q.* 1.); quorum sententiæ nos subscribimus.

§. III. Mundum productum esse ab æterno a Deo contenderunt Pythagoras, Plato, Xenocrates, Dicæarchus, Aristoteles, atque Aristotelei, aliique. His adjungitur Jordanus Brunus, Monachus primum Do-

(3) 1. *p. quæst.* 46. *art.* 1.

Dominicanus, deinde transfuga, qui, licet ingenio præcellens fuisset, fuit tamen pietate nefarius; itaut propter nimiam impietatem Romæ (alii volunt Venetiis) anno 1600. ultrices expertus fuerit flammas (4).

§. IV. Mundum porro non fuisse ab æterno creatum, tenuerunt Hebræi, et Catholicorum est dogma. Cui, si paucos, et Pantheistas excipias, omnes Philosophi subscribunt, subscribimus et nos, quod ad evidentiam usque demonstrabimus. Sit itaque

Axio-

(4) Huic Philoſopho deberi inventionem mundanorum Vorticum, quos Carteſius vulgavit, colligitur ex actis Lipſienſibus (*mense Januar.* 1682. *p.* 187.), & confirmatur a Bælio (*Dict. ar. Brunus*), & a Petro Daniele Huetio (*in Cens. Philos. Cartesianæ c:* 8.). Præterea Gaſpar Scioppius hæc ſequentia dogmata Bruno tribuit. I. Mundum eſſe ab æterno. II. Innumeros eſſe, in immenſo univerſo, mundos. III. Animos humanos non modo ex corporibus in alia corpora migrare, ſed ex uno etiam mundo in alium. IV. Una eademque anima duo corpora vivere poſſe. V. Magiam ſcientiam eſſe, quam damnari non ſit fas. VI. Spiritum Sanctum nihil eſse, niſi mundi animam. VII. Moyſen miracula arte magica edidiſse, & in ea ſuiſse Ægyptiis omnibus inſtructiorem. VIII. Moſaicas leges humana eſse commenta. IX. Sacras Scripturas mera eſse ſomnia. X. Dæmones fore ut tandem aliquando redimantur a miſeria. XI. Solos eſse Hebræos, qui ab Ada, & Eva ſint progeniti, nationes vero alias ab alio cœpiſse homine, qui diu antea fuerit a Deo creatus. XII. Chriſtum nec Deum eſse, & inſignem Magum fuiſse. Hæc impiiſſima dogmata traditur eſse in libro ab eodem ſceleſtiſſimo Viro compoſito, atque inſcripto *de Immenso*, & *Innumerabilibus*.

Axioma Unicum.

Quod factum est infectum esse nequit. Patet.

Propositiones.

Prop. I. *Deus non potest attributum aliquod infinitum creaturæ communicare, itaut vere, in eo attributo infinita evadat.*

D. Si namque posset unum, posset omnia. Nam quidquid in Deo est, Deus ipse est; aliter in Deo admittenda forent accidentia, quod pugnat. Si ergo Deus posset alicui creaturæ aliquod communicare infinitum attributum, suam divinam naturam ei communicaret. Ergo revera si Deus posset creaturæ aliquod suum attributum infinitum communicare, posset omnia. Jamvero Deus nequit omnia attributa communicare creaturæ: I. quia in tali casu duo essent entia infinitæ entitatis, quod pugnat (p. 6. c. 2.). II. quia in tali casu essent duo entia a se; quod 1. (p. 7. c. 6.) pugnat; 2. (per axioma unic. huj. capitis) est maximum contradictorium. Si ergo nequit omnia Deus creaturæ communicare, nequit unum quidem attributum. Igitur etc. Eadem evidentia constat, Deum non posse exornare creaturam *attributo infinito* (5).

Schqo-

(5) Legat. D. Thomas 1. *p. quæst.* 7. *art.* 2. Sicuti pugnat, poſse Deum aliquod attributum creaturæ infinitum, communicare; ita pugnat quoque, poſse Deum efficere creaturam

Scholion.

De facto, si Deus aliquod infinitum attributum alicui creaturæ communicare posset, et quanta non sequerentur absurda? I. Namque infinitos alios Deos sibi invicem æquales producere posset. Ecquid absurdius? II. Posset Deus in sua substantia mutari. III. Posset amittere aliquod suum attributum. IV. adeoque suam naturam, substantiam, divinitatem, seipsum reddere inertem. Infinita alia similia sequerentur, ut parum attendenti patet; quæ omnia nisi cymmeriis tenebris involutus, nemo admittere potest. Restat ergo perapertum,

turam attributo infinito præditam. Pugnat enim non fuiſse *creatum* id, quod eſt *creatum* (ax. unic. huj. cap.). At, quod per creationem productum eſt, eadem potentia, quæ ex nihilo fuit productum, indiget, ut conſerverur. Conſervatio enim continuata creatio eſt. Ergo, ſicuti pugnat, poſse aliquid produci ex nihilo, ſine potentia creatrice; ita pugnat, poſse conſervari, abſque *dependentia* ab eadem potentia. Jamvero omne dependens, in *eo in quo dependet ab alio* ſaltem eſt *finitum* & *limitatum*. Ergo, ſicuti pugnat, creaturam poſse eſse a Deo *independentem*, ita pugnat poſse a Deo exornari aliquo attriburo infinito. Nam ut in creatura ſit aliquod infinitum vere & proprie, debet eſse omnino & abſolute ab omnibus *independens*, quod repugnat a parte Dei (p. 1. huj. cap.), & ex parte creaturæ (ax. unic. huj. cap.). Hinc patet, cur Beatorum nullus in Cœlo, neque omnes ſimul, queant Deum *totaliter*, & *adæquate* comprehendere: hinc pateſcit abundans eorum gaudium, & conſcientia abundantiſſimi objecti, nempe *Dei*: hinc conſtat, Deum eſse ita maximum, ita perfectiſſimum, ut abſolute repugnet, poſse habere æquale aliud ſibi, extra ſe. Vide Deuteron. 3. 24. & 4. 36. Tob. 13. 4.

Deum non poſſe aliquod infinitum attributum creaturis communicare.

Prop. II. *Omne, quod per creationem productum est, fuit aliquando nihil.*

D. Nam omne, quod per creationem productum est, est productum ex nihilo sui, et subjecti (def. 1. c. 7.). Ergo priusquam produceretur, fuit nihil; aliter enim non eſſet productum per creationem, quod est contra hypotheſim.

SCHOLION.

Duobus verbis licet conſtet hæc demonſtratio; hoc tamen non obſtante, omnem habet vim; quia dato, quod aliquid per creationem productum sit, debuit eſſe neceſſario aliquando nihil: ſecus enim vel contra hypotheſim adſerendum erit aliquid (quo nil abſurdius), vel aliam *creationis* ideam efformare oportebit, quod extra noſtrarum idearum ſitum nos conducet, atque contra philoſophandi regulas procedet.

Prop. III. *Omne, quod per creationem producitur, debuit eſſe aliquando nihil.*

D. Creatio namque est productio rei ex nihilo ſui, et ſubjecti (def. 1. c. 7.). Ergo quidquid per creationem producitur, producitur ex nihilo ſui, et ſubjecti. Jamvero nihil produci poteſt ex nihilo ſui, et ſubjecti, niſi aliquando ſit nihil, alias productum non eſſet ex nihilo ſui, et ſubjecti, quod eſt contra hypotheſim. Ergo omne, quod per creationem producitur, debuit eſſe aliquando nihil.

Scholion.

Et reapse : si quod per creationem producitur non debuisset esse aliquando nihil, jam ante creationem, vel aliquid in caussa debuisset esse, et quidem aliquid substantialis, vel aliquid substantiale in seipso. Utrumque autem est contra hypothesim creationis (def. cit.). Dato etenim, quod aliquid creatum sit, sequitur statim, ipsum ante creationem nihil esse debuisse. Restat ergo evidentissime demonstratum nostrum propositum.

Prop. IV. *Quod debuit esse aliquando nihil, non potuit exstare ab æterno.*

D. I. Si enim potuisset exstare ab æterno, jam potuisset non esse unquam nihil. Hoc autem contra hypothesim: debuit enim aliquando esse nihil. Ergo quod debuit esse aliquando nihil, non potuit exstare ab æterno.

II. Quod aliquando debuit esse nihil, debuit aliquando non exsistere, nempe, quando fuit nihil. Sed quod debuit aliquando non exsistere, non potuit esse ab æterno; aliter enim habuisset simul principium, et non. Habuisset quidem, quia debuit aliquando non exsistere. Non habuisset porro principium, ut supponeretur. Jamvero hoc maximum est absurdum (ax. 1. c. 1.). Ergo ne id admittatur, dicendum etc.

Prop. V. *Mundus non potuit creari ab æterno a Deo.*

D. Si mundus potuisset creari ab æterno a Deo, jam potuisset exstare ab æterno. Atqui non potuit exstare ab æterno. Nam omne, quod per

creationem producitur, debuit esse aliquando nihil (p. 3. huj.). Atqui mundus productus esset per creationem in hoc casu. Ergo debuit esse aliquando nihil. Jamvero, quod debuit esse aliquando nihil, non potuit exstare ab æterno (pr. 4. huj.). Ergo mundus hic adspectabilis non potuit exstare ab æterno; ergo ab æterno creari non potuit.

II. Si mundus potuisset a Deo creari ab æterno, jam Deus potuisset creaturæ infinitum attributum aliquod communicare, nempe *sempiternitatem*. Atqui Deus nequit omnino aliquod infinitum attributum creaturæ communicare (p. 1. huj.) Ergo non potuit ab æterno mundum producere. Ergo etc.

III. Si mundus creari potuisset ab æterno, jam nunc potuissent infiniti transacti esse dies, horæ, anni, menses etc. post mille annos, etiam infiniti potuissent esse anni translati sicuti nunc. Si igitur nunc possent esse infiniti dies a creatione mundi, jam nunc nullus alius dies istis adjungi posset. Jamvero non pugnat alios addi dies; ergo dari posset infinitum infinito majus, si mundus ab æterno creari potuisset. Quod quam absurdum sit, nostrisque ideis pugnans, nemo non videt. Ne igitur hoc admittatur absurdum, dicendum, numerum dierum esse non posse infinitum. Ergo nec mundum ab æterno. Q. E. D.

Objectiones.

Ob. I. Si Deus ab æterno operatus fuisset necessario, quoad hujusce mundi productionem, jam sine dubio, illum ab æterno producere potuisset; ergo a pari, si ab æterno libere operatus foret, ab æterno potuisset mundum creare. Ergo.

Resp. Dist. ans. Si per productionem intelligatur substantialis emanatio, conc. (6); si intelligatur vera, et propria creatio, neg. ant. n. conseq. et parit. Igitur si per productionem intelligatur substantialis emanatio inpræsentiarum, jam apertum est, Deum potuisse ab æterno mundum producere. Nam in tali casu mundus esset substantiale aliquid, seu essentiale Dei. Ergo sicuti Deus fuisset ab æterno, ita mundus pariter ab æterno fuisset; ut sicuti Deus ab æterno est sa-

 pien-

(6) Concedimus ſcilicet, ſi ſubſtantialis emanatio potuiſſet habere locum in Deo; quod tamen maximum eſſe abſurdum, & ipſe tyrones Philoſophi norunt, & nos ſupra oſtendimus (p. 3. cap. 7.) Animadvertendum porro eſt, nos, hic ſupra, loqui de *creatione*, adeoque de Dei *operatione ad extra*. *Ad intra* enim Deus, *ab æterno*, generavit Verbum, & cum Verbo ſimul, ſpiravit active Spiritum Sanctum. Et quia illiuſmodi Dei operationes ſunt *ad intra*; ideo *hi tres* (1. Jo. 5. 7.) *unum sunt*: unam ſcilicet, eandemque habent *divinam essentiam*. Ergo ſicut Pater ab æterno eſt Deus, ita ab æterno eſt genitor: & Verbum pariter, ſicuti ab æterno eſt Deus, ita ab æterno eſt genitum. Item, ſicuti Spiritus Sanctus eſt Deus ab eterno, ita ab æterno eſt inſpiratum. Uno verbo, Deus ſicuti ab æterno eſt Deus, ita ab æterno, *ad intra*, operationes elicuit, ita ab æterno eſt Trinus, & Unus, ſemper *immutabilis* manens in ſeipſo.

pientissimus ; ita ab æterno fuisset *Deus mundi productor*, seu potius *Deus mundus*. Verum, quum id patentissimus sit Pantheismus ; jam si adversarii stare sibi velint, per productionem intelligere, hoc in casu, non debent substantialem emanationem. Intelligant ergo oportet, veram, et propriam creationem. Sed hoc posito, absolute pugnare dicimus, mundum creari ab æterno potuisse. Nam, dato mundus productus sit per creationem; sequitur apertissime, quod aliquando debuit esse nihil (p. 3. huj.). Jamvero quod aliquando debuit esse nihil; pugnat potuisse exstare ab æterno (p. 4. huj.). Ergo pugnat, mundum potuisse creari ab æterno : aliter enim aliquod pugnans potuisset exstare. Quod est absurdum.

Inst. Atqui etiam intellecta productione pro vera, et propria creatione, potuit Deus mundum ab æterno producere, idest creare. Ergo etc. Prob. subs. Ex concessis, Deus potuisset (in hypothesi, quod necessario operatus fuisset per emanationem) mundum producere ab æterno, si necessario operatus fuisset. Ergo etiam libere potuit illum producere per creationem ab æterno. Adeoque etc.

Resp. Dist. ant. Et tamen hypothesis adducta est omnium absurdissima, conc., secus n. ant., et conseq. Igitur si Deus mundum per emanationem substantialem, et necessario producere potuisset, revera producere potuisset ab æterno, uti modo diximus (resp. ant.). Verum quum hypothesis hæc supponat I. Deum esse materialem. II. Deum esse mutabilem. III. Deum producere

po-

potuisse mundum per emanationem substantialem; sequitur manifeste, ipsam omnium hypothesum esse absurdissimam; adeoque ne mente quidem cogitari debere. Ergo quum consequens propositio 1. nullimode sequatur ex hac hypothesi, 2. et si sequeretur, super hypothesim absurdissimam fundata esset; intactum restat, mundum creari ab æterno non potuisse.

Inst. Atqui licet hypothesis prædicta sit in se absurdissima, ex ea tamen paritate recte colligitur Deum potuisse mundum producere ab æterno per creationem. Ergo etc. Prob. subs. Deus præditus est infinita potentia. Ergo sive libere, sive necessario operatur, semper quoad potentiam est idem. Si ergo potuisset mundum producere per emanationem ab æterno, necessario operando, potuisset etiam libere. Ergo etc.

Resp. C. ant. n. utramq. conseq. Ad primam quod attinet, dico, Deum non fuisse præditum infinita potentia, si necessario aliquando operatus fuisset. Nam in tali casu, vel Deus ad hujusmodi necessariam operationem coactus fuisset ab intrinseco aliquo principio suæ naturæ, vel ab aliquo principio externo. Si a principio intrinseco, vel id fuisset, quia ex partibus constaret substantia sua, vel quia aliquo indigeret. Jamvero utrumque naturam in ipso argueret imperfectam; adeoque potentiam finitam (patet). Si porro Deus ad necessariam hujusmodi operationem coactus fuisset a principio extrinseco; in hoc pariter casu potentiam non haberet infinitam ad cuicumque resistendum. Item esset dependens; adeoque non

non esset perfectissimus; adeoque potentiam non haberet infinitam in casu jam prædicto; ergo si necessario operatus aliquando fuisset, revera prædītus non fuisset infinita potentia.

Ad secundam porro consequentiam, dico, Deum potuisse quidem ab æterno (in illa absurdissima hypothesi) producere Mundum per emanationem, quia in tali casu mundus fuisset aliquid substantiæ Dei. Ergo sicuti Deus, ita et Mundus ab æterno potuisset exstare. Verum per creationem nullimode Deus mundum ab æterno creare potuit, ut patet ex hucusque dictis. Ceterum relegantur quæ in antec. resp. diximus.

Ob. II. Si repugnaret, mundum creari potuisse ab æterno, id vel ex parte Dei esset, vel ex parte mundi, vel ex parte creationis. Atqui ex nullo istorum repugnat, mundum potuisse ab æterno creari. Ergo etc. Prob. min. Non repugnat ex parte Dei; nam Deus est immutabilis. Ergo semper fuit idem. Ergo semper potuit agere ab æterno. Non pugnat ex parte mundi. Nam si aliquando possibile fuit creari, semper possibile fuit creari potuisse. Possibilitas enim rerum intrinseca non pendet a Deo. Neque ex parte creationis pugnat. Nam creatio indivisibili instanti fit; ergo etc. adeoq. . . .

Resp. Ad hoc argumentum, et dico, mundum non potuisse ab æterno creari, repugnare quidem ex parte actus creationis. Nam in omni instanti a nobis concepibili, potuit quidem fieri mundi creatio. Verum quocumque instanti factam esse, concipiatur, semper infinita alia momenta prio-

ra

ra imaginari possunt. Itaque in omni instanti Deus fuit potens ad mundum creandum, sed quocumque momento illum creasset, semper infinita alia præcessissent. Ergo creatio in omni quidem instanti concepibili fieri a Deo potuit, non autem ab æterno. Præterea creatio est eductio rei ex nihilo sui, et subjecti. Ergo antequam fieri potuisset, supponebat nihilum: sicque semper aliquid ex nihilo educi potuit in omni scilicet imaginabili momento, sed semper supposuisset nihilum, super quod illa creationis actio cadere debuisset: adeoque licet in omni momento fieri potuisset, nequivit tamen fieri ab æterno.

Dico II. Mundum ab æterno creari potuisse, repugnare etiam ex parte Dei, et ex parte mundi. Ex parte Dei quidem, eo quod, si Deus mundum ab æterno creasset, jam nunc in æternum posse ipsum conservare, non pugnat. Ergo Deus communicare potuisset creaturæ, scilicet mundo, aliquod attributum infinitum, nempe sempiternitatem; quod pugnat (p. 1. huj.). Repugnat porro ex parte mundi. Nam in hypothesi, per creationem produci debuisset. Ergo fuisset aliquando nihil (p. 3. huj.). Ergo non potuisset exstare ab æterno (p. 4. huj.). Ergo produci non potuisset ab æterno. Ergo etc. (7). Verum clarius ex prop. subsequentibus.

Prop.

(7) Ego, quod ad me ſpectat, tamquam axioma evidentiſſimum habeo hanc meam propoſitionem, mundum nempe *non potuiſſe ab æterno a Deo creari*. Nam 1. Cauſſa crea-

Prop. VI. *Mundus non est creatus ab æterno à Deo*.

D. I. Nam hodie vel infiniti sunt dies, ex quo mundus est creatus, vel finiti. Jamvero infiniti esse non possunt, quia multi alii præsenti adjungi possunt; et infiniti rationem exigit, quod nullimode exhauriri possit. Ergo dicendum, dies fini-

---

creatrix neceſſatio debet præexſiſtere, antequam effectum creandum producat. Quodcumque autem momentum præexſiſtentiæ, in Deo, reſpectu mundi creationis, adſignabitur, ſemper ſequitur, mundum ab æterno creari non potuiſſe. II. Poſito, quod mundus debeat eſſe a Deo creatus, debet eſſe factus. Jamvero omne factum æternum eſſe non poteſt. Siquidem vel habuit initium, vel non. Secundum adſerere, eſt contra hypotheſim: primum demonſtrat noſtrum propoſitum. Igitur poſito, quod mundus debeat eſſe a Deo creatus, contradictorium eſt, adſerere, ipſum ab æterno potuiſſe creari.

Sed inquiunt adverſarii (*apud D. Augustinum lib.*10. *de Civit. Dei cap.* 31.): „ Si pes ex æternitate ſemper fuiſſet „ in pulvere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium: quod tamen ve„ ſtigium a calcante factum, nemo dubitaret, nec alterum „ altero prius eſſet, quam alterum ab altero factum eſſet „. Sic à pari, ajunt, Mundus potuit ab æterno creari a Deo, & eſſe illi coæternus, & tamen ab eo creatus. Sed falſum. Nam veſtigium illud, in tali caſu, non eſſet entitas aliqua, ſeu res a pulvere excavato, & pede premente diſtincta; ſed tantum eſſet illius pulveris modus, ſine quo dici non poſſet excavatus. Unde dicere, veſtigium in tali exemplo potuiſſe eſſe ab æterno, idem eſt, ac dicere, veſtigium potuiſſe eſſe ab æterno in pulvere, ſi ab æterno exaratum fuiſſet, hoc eſt, *potuisset exstare, si ab æterno exstitisset.* Non idem dicendum eſt de Mundo, qui res eſt a Deo diſtincta. Quapropter hoc, aliaque ejuſmodi exempla, nihil faciunt contra noſtram propoſitionem.

nitos esse : adeoque fuisse primum diem, in quo creatus fuit mundus. Ergo etc.

II. Si Mundus ab æterno creatus esset, jam Sol ab æterno semper successive percurrisset Zodiacum. Nunc sic: Sol, in prima Zodiaci percursatione, vel totam æternitatem imposuit, vel duodecim circiter menses. Jamvero imponere non potuit totam æternitatem. Nam, si imposuisset tunc, imponeret et nunc; quod est absurdum, utpote experientiæ contrarium. Ergo imposuit duodecim circiter menses. Ergo, ante hos duodecim menses, mundus non erat. Ergo etc.

III. Mundus ab æterno creari a Deo non potuit (p. ant.). Ergo de facto ab æterno creatus non est; aliter exstitisset, quod exstare non potuit; quod pugnat (ax. 1. c. 1.) (8).

Objectiones.

Ob. I. Deus vel potuit mundum creare ab æterno, vel non. Si potuit. Ergo voluit. Ergo fecit ab æterno. Sin autem non potuit. Ergo Deus non est potentiæ infinitæ ens; quod est absurdum. Ergo Deus potuit, voluit, et creavit mundum ab æterno.

Resp. Dicimus itaque, Deum mundum creare ab æterno non potuisse (p. ant.), eo quod repugnat,

(8) Legitur Genuenſis *Metaph. Ital. par.* 1. *cap.* 2. §. 16. *& seq.* Legatur item Vallechius *lib.* 1. *de Fundamentis Relig. cap.* 3.

gnat, mundum fueri potuisse ab æterno tum ex parte ipsius mundi, tum ex parte Dei, tum etiam ex parte creationis (resp. ult. p. ant.). Deinde dato etiam, quod Deus mundum ab æterno creare potuisset, non sequitur, illum voluisse creare. Nam si Deus omnia, quæ potest efficere vellet, ecquid esset de nobis, de mundo, de omnibus possibilibus? Deus nempe posset omnia possibilia creare? Ergo vult ea creare; eccur non creat? Item Deus potest nunc destruere mundum hunc adspectabilem? Ergo illum destruere vult. Ergo destruit, quum exsistit, quod (ax. 1, c, 1.) leberide cæciores tantum concedent. Quum igitur Deus ab æterno non potuit creare mundum, dicendum, quod de facto illum ab æterno non creavit.

Inst. Ex concessis Deus non potuit producere mundum ab æterno. Ergo nihil ab æterno producere potuit ad extra. Atqui hoc est absurdum. Ergo, ne hoc admittatur, dicendum, Deum potuisse illum producere, adeoque produxisse ab æterno. Prob. min. Absurdum est adserere, Deum aliquando non fuisse omnipotentem. Atqui hoc sequitur ex hypothesi, quod Deus non potuit mundum ab æterno creare. Ergo, ne hoc admittatur, dicendum, Deum potuisse ab æterno aliquid *ad extra* producere, et per consequens mundum; adeoque illum ab æterno voluisse, et produxisse.

Resp. O. maj. n. min. n. utramque consequentiam. Deum itaque semper fuisse, esse, et futurum omnipotentem, nonnisi Tiresia cæciores ne-

negabunt. Est enim Deus ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est perfectiſſimus (p. 12. c. 2.). Ergo omnipotens, et quidem semper. Nam est Deus ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo debet esse immutabilis (p. 2. c. 1.). Si igitur est omnipotens, semper omnipotens fuit, eritque. Ex eo deinde, quod mundum producere non potuit ab æterno, nihil Dei omnipotentiæ detrahitur. Nam sicuti ex eo, quod Deus non possit efficere, quod *factum sit infectum* (contra ax. unic. huj.), non sequitur Deum non esse omnipotentem, quod et ipsi concedunt Aristotelici, quum tritum sit eis, quod *impossibile est idem simul esse, et non esse*; ita pariter non sequitur, Deum aliquando non fuisse omnipotentem, eo quod mundum ab æterno creare non potuit. Pugnat enim factum quodcumque ab æterno potuisse exstare. Quum igitur ita sit, sequitur, Deum non creasse mundum ab æterno.

Ob. II. Deus, respectu mundi creationis, aut semper ab æterno eodem modo se habuit, ac quando nos dicimus creavisse mundum, aut non. Si semper eodem modo; ergo produxit illum ab æterno; aliter nunquam producere potuisset. Si vero se habuit diverso modo ab æterno, ac quando mundum creavit; ergo in mundi creatione mutatus est; quod est absurdum (p. 2. c. 1.). Ne ergo id dicatur, concedendum Deum creasse mundum ab æterno.

Resp. Dicimus huic argumento, Deum semper idem fuisse, et ab æterno, et quando mundum creavit; et licet mundum ab æterno non fecisse ad-

adseramus, quia nempe id repugnabat (p. ant.); tamen ab æterno decrevisse facere tunc, quando reapse fecit, contendimus. Et re quidem vera, mundum ab æterno creare non potuit Deus, ut centies diximus. Ergo debuit illum in tempore producere. Potentia enim Dei, quæ pugnantia sunt, efficere nequit. Si igitur non potuit produci mundus, nisi in tempore, sequitur Deum debuisse se ab æterno determinare ad mundum producendum, quando de facto postea produxit: aliter enim determinari debuisset se ad mundum producendum, quando produxit, adeoque mutari debuisset. Quod etiam nos negamus. Quare determinatus quidem est ab æterno, mundum producere tunc, quum produxit, sed non produxit ab æterno; quia produci omnino non potuit, ut evidenter demonstratum est (p. ant.). Perbelle igitur B. Isidorus Hispalensis (9): „ Opus inquit, „ non consilium, apud Deum credimus mutari. „ Nec variari eum, qui per varia temporum di- „ versa percipit; sed manens idem incommutabi- „ lis, et æternus, quod cuique congruum esset „ tempori, ab ipsa æternitate in ejus mansit di- „ spositione consilii „.

Prop. VII. *Mundus creatus fuit a Deo in tempore, hoc est habuit initium.*

D. Nam mundus non est creatus ab æterno a Deo (p. ant.). Ergo creatus est in tempore, scilicet habuit initium.

(9) De summo bono *lib.* 1. *cap.* 1.

Scholion I.

Propoſitio hæc, poſita veritate antecedentis; eſt evidentiſſima. Eſt enim ejuſdem antecedentis Corollarium. Vel ſiquidem ab æterno productus eſt mundus a Deo, vel non. Jam vero ab æterno productus non eſt (p. ant.). Ergo productus eſt in tempore, habuit ſcilicet initium.

Scholion II.

Quum ergo in tempore productus ſit mundus hic adſpectabilis a Deo, reſtat ultimo videndum, an ipſe mundus adſpectabilis, qui a Deo productus eſt (p. 4. c. 6.) per creationem (p. 5. c. 7.), ſit omnium poſſibilium optimus, et quonam modo. Videamus ergo.

CAPUT X.

In quo demonstratur I. Deum poſſe alia facere, præter ea, quæ vult facere, et actu facit. II. Deum poſſe facere alium mundum, in ſe ſpectatum, hoc adſpectabili perfectiorem. III. Poſito fine, quem Deus habuit, in productione hujusce universi, non poſſe facere alium mundum, qui, dato fini, melius reſpondeat. IV. Ergo mundum hunc adſpectabilem eſſe omnium poſſibilium optimum, qui propoſito Dei fini reſpondeat. V. Mundum hunc adſpectabilem, non eſſe (in ſe ſpectatum) omnium poſſibilium optimum.

Definitiones.

Def. I. Potentia eſt id, quo aliquid eſt capax operandi, vel recipiendi aliquam impreſſionem.

Def. II. Hinc vel *activa* eſt, vel *paſſiva*. *Activa*, quæ et *operativitas* a Scholæ Philoſophis nuncupatur, eſt quædam alicujus rei facultas, qua mediante, aliquid producitur. Talis eſt in homine loquendi facultas.

Def. III. Potentia *paſſiva* illa eſt, quæ capax eſt recipiendi aliquem actum. Talis eſt facultas, qua Antonium, ex. gr. cognoſcere poſſumus. Vocatur etiam hæc potentia *receptativa*, vel *ſubjectiva*.

Scho-

Scholion.

Exsistere in potentia dicitur in Scholis de eo, quod licet actu non exsistat, tamen potest ab aliqua potentia produci. Sic Trigonus, ex. gr., possibilis, non exsistit jam actualiter, sed potest a me produci. Ergo exsistit in potentia mea.

Def. IV. Omnipotentia est illa vis, quæ ad actum, quodcumque possibile est, deducere potest. Ergo

Def. V. Omnipotens illud dicitur, quod vim habet producendi ad actum quodcumque possibile est.

Def. VI. Optimum in se dicitur id, quod absolute, et in se consideratum, ita in omni perfectum est, ut nihil ei addi, nihilque demi possit.

Def. VII. Optimum autem *relative*, dicimus illud, quod in omni, respectu alterius, perfectum est. Sic si mechanicus aliquis Faber horologium componit non alio fine, nisi solum, ut horas in proprio tempore designaverit, perfectissimum, seu optimum dicetur ratione finis.

Scholion I.

Ex hoc porro patet, quod, si aliquis plures fines sibi in aliquod opus construendo proponat, si res constructa uni fini corrispondeat, non vero aliis, optima respectu illius tantum dicetur, cui respondebit; non vero respectu aliorum, quibus nullimode, vel imperfecte respondebit. Ex istis sequitur

Coroll. Mundus hic adspectabilis, optimus omnium possibilium dici debet, respectu finis, quem Deus sibi proposuit, si perfecte, et adamussim illi fini respondeat.

Scholion II.

Videlicet si Deus condidit mundum, ut sic bonitatem suam creaturis communicaret, si mediante hoc mundo adspectabili perfecte (juxta propositum scilicet voluntatis suæ) bonitas sua manifestatur; mundus hic adspectabilis optimus, respectu talis finis, dicetur.

Def. VIII. Finis est id, quod terminat, seu finit opus aliquod, vel rem aliquam. Sic finis studentis est scientiæ acquisitio. Sic nimis generice. Ast ultra sequentia, vide Berchotium Dict. Moral. voc. *Finis*, ubi multa scitu digna.

Scholion.

Dividunt finem Philosophi Scholæ in *finem cui*, et *finem qui*, sive *cujus gratia*. *Finis cui* est id, cui aliquid inservit, aut in cujus commodum aliquid cedit. Sic Antonius, ex. gr., est finis domus B, quæ pro ipso construitur. *Finis* porro *qui* est illud, propter quod, vel cujus gratia aliquid fit. Qui pariter vel *operantis* est, vel *operis*. Finis operantis est id, quod operans intendit. Sic finis docentis Theologiam, vel amor præmii potest esse, vel amor cognoscendi Deum, et res divinas, vel aliquod aliud. Et hoc modo nos finem

nem inpræsentiarum usurpamus. Finis autem *operis*, seu operationis est id, ad quod opus vel operatio per se refertur. Sic scientia est finis, ad quem labor studentium refertur. Item finis sive operantis, sive operis alius est *proximus*, et est, quod proxime, et immediate intenditur; alius *intermedius*, qui medio loco expetitur: et alius *ultimus*, et est id; ad quod omnes alii fines referuntur (1).

Def. IX. Sapientiæ nomine, in rerum præsentia, est cognitio clara, et distincta rerum altissimarum, et maxime remotarum a nobis: Ergo

Coroll. I. Qui aliquas hujusmodi rerum altissimarum, et maxime a nobis remotarum, cognitiones habet, sapiens; circa ea, quæ, hoc modo, cognoscit, optime dicitur.

Coroll. II. Qui vero omnes possibiles cognitiones, modo perfectissimo, habet; rerum omnium quantumvis etiam altissimarum, *perfectissimus in sapientia*, vel *sapientissimus* dicitur. Hujusmodi est Deus solus; cui omnia unico instanti conspecta sunt ab æterno.

(1) Ultimus hic finis, in hominibus, eſt *propria felicitas*, & beatitudo, ſeu *minimum de malis*, ut loquuntur Ethicæ Magiſtri. Omnia enim propter id operantur homines, ut quiſque ſibi conſcius eſt. Ita *philoſophice*, & ſecundum naturalem œconomiam loquimur. Aſt *theologice* loquendo, *ultimus finis*, in nobis, eſt *æterna*, & *ſupernaturalis felicitas*. „ Fecit Dominus, *ait S. Auguſtinus*, creaturam „ rationalem, quæ SUMMUM BONUM intelligeret, in„ telligendo amaret, amando frueretur, & ſic in æternum „ beatificaretur „.

§. I. Deum non habere potentiam faciendi aliquod aliud, præter ea, quæ vult facere, et actu facit, contenderunt antiqui quidam Philosophi, ut Strato Lampsacenus, Alexander Epicureus, Dinandus, et præsertim Spinoza, qui parte prima Ethices (2) ait: *In rerum natura nullum datur contingens, sed omnia ex necessitate divinæ naturæ determinata sunt ad certo modo exsistendum, et operandum.* Si ergo divinæ naturæ necessitate sunt omnia determinata, jam sequitur, per Spinozam, Deum alia producere non posse, præter ea, quæ producit. Quum enim necessario operatur Deus per istos, sequitur, non posse alia, præter ea, quæ producit, producere, eoquod non potest libere operari. Idipsum senserunt omnes alii Pantheistæ. Item, idipsum sensisse Abaelardum, refert D. Bernardus (3).

§. II. Nos econtra sentimus, Deum posse quidem alia facere, præter ea, quæ facere vult, et actu

(2) *Prop.* 2.

(3) Epiſt. 190. Quidam alii porro (ut Eſtius *in* 1. *sent. dist.* 43.), & P. noſter Cavenſis in *Metaph. Tract.* 3. *par.* 1. *c.* 1.) contendunt ejuſdem ſententiæ fuiſſe Calvinum. Sed falſum. Nam Calvinus *de vera Ecclesiæ reformandæ ratione*, hæc habet: *Rerum omnium conversionem fieri posse a Christo, nos quoque fatemur.* Ex quo conſtat, Calvinum, admittere quidem, Chriſtum poſſe mutare panem in Corpus & vinum in Sanguinem ſuum, licet revera id Chriſtum facere, alibi ipſe neget.

actu facit. Idem nobiscum sentiunt omnes alii tum Philosophi, tum Theologi, præter prædictos.

§. III. Apud Deum non esse potentiam faciendi aliqua meliora iis, quæ actu operatur, eo quod Deum necessitate quadam naturali operari, contendebant, docueruntque Pantheistæ omnes: et Abaelardus citatus supra a nobis, *penes Deum*, adserit, *non esse operari meliora iis, quæ operatur*. Idipsum sensit Wiclephus. Simile sensit Malebranchius, et Leibnitius, qui, etsi Deum liberum omnino esse, in operando, constituant; tamen, meliorem, ex omnibus possibilibus, mundum hunc esse, contendunt; itaut Deum, alium, hoc perfectiorem, efficere omnino non posse sentirent. Verum tum cum aliis Theologis, tum cum aliis Philosophis nos oppositum sentimus, pugnaciterque defendimus.

PROPOSITIONES.

Prop. I. *Deus potest facere alia, præter ea, quæ vult facere, et actu facit.*

D. Deus est ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est perfectissimus (p. 12. cap. 2.), idest continet omnes possibiles perfectiones, et quidem in primo gradu (sch. p. cit.). Ergo est omnipotens. Jamvero qui est omnipotens, potest omnia intrinsece possibilia facere. Nam si non posset omnia, jam aliquid facere non posset. Ergo non haberet potentiam infinitam, sed limitatam; adeoque omnipotens non esset, quod est absurdum (propp. citt.). Potest ergo Deus omnia intrinsece possi-

 bilia

bilia facere. Atqui præter ea, quæ Deus vult facere, et facit actu, multa alia sunt intrinsece possibilia. Ergo etc. Q. E. O.

SCHOLION I.

Et hæc satis abundans, pro præsenti nostra assertione, est demonstratio. Verum, quia omnes pene hujusce nostræ adsertionis adversarii in eo sunt fundati, quod nempe mundus hic adspectabilis sit Deus, quumque teneant hujusce Dei operationes non esse, et non fieri, nisi fatali quadam necessitate, et modificatione ejusdem exsistentis mundi; fit inde, ut demonstrato, mundum hunc, Deum revera esse non posse, totum eorum assertum evanescat omnino, necesse sit. Jamvero id a nobis abunde supra (p. 5. c. 4.) factum est. Ergo nihil contra nos adversarii agere possunt.

SCHOLION II.

Restant ergo ii, qui Deum talem admittunt, qualem et nos. Sed, ex istis, alii revelationem divinam profitentur, alii non. Qui revelationem admittunt, jam abunde a Theologis omnibus, præsertim vero Scholasticis, confutantur, ubi de divina omnipotentia agunt: qui vero divinam revelationem non admittunt, jam ratione a nobis in demonstratione adducta convincuntur. Verum, ut clarius id pateat, audiamus eorum

OB-

Objectiones.

Ob. I. Deus debet facere omnia, quæ sua potentia facere potest. Ergo præter ea, quæ facere vult, et actu facit, nequit alia facere. Prob. ant. Si Deus non faceret omnia, quæ facere potest, jam omnipotentia inutilis esset; et otiosa. Jamvero id, de Deo, dici non potest. Ergo etc.

Resp. n. maj. c. min. n. conseq. Itaque licet Deus omnia, quæ facere possit, non faciat; tamen non sequitur ex hoc, Dei omnipotentiam inutilem esse. Nam tunc potentia aliqua inutilis esset, et otiosa, quando nullimode operari posset. Jamvero Dei omnipotentia operari potest. Ergo inutilis, et frustranea non est. Item ad creationem alicujus rei requiritur omnipotentiæ actus. Atqui Deus multa creavit et creat. Ergo creavit et creat omnipotentia sua. Ergo non est frustranea et otiosa. Item Deus est liberrimus in operando. Nam Deus est ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est perfectissimus *intensive*, et *extensive* (p. 12. c. 2.). Ergo est liberrimus. Ergo si omnia, quæ agere potest, actu agere deberet, jam liberrimus non esset. Libertas namque in hoc consistit, ut qui ea præditus est, possit agere, vel non pro libito suo. Jamvero Deum liberum non facere, omnium putidissimum absurdum est. Ergo ne hoc dicatur, dicendum, quod licet Deus etc.

Inst. Atqui nisi Deus produceret omnia, quæ producere potest, inutilis esset, ejus omnipotentia; ergo etc. Prob. subs. Si Deus omnia, quæ ipsa potentia sua potest, non produceret, jam mul-

multa, quæ ab ipso fieri possent, nihil cognoscerent, et participarent potentiæ ejus. Jamvero id demonstrat, potentiam Dei inutilem esse. Ergo etc.

Resp. C. maj. dist. min. respectu possibilium; quæ non producit, c. respectu Dei ipsius, et eorum, quæ producit, neg. min. Ergo etc. n. conseq. Utique verum est, quod ea, quæ Deus, licet possit, non producit, non participant de divina omnipotentia. Nam possibilia quamdiu pure possibilia sunt, aliud non sunt, nisi purum, putumque nihil. Atqui nihil de nullo participare potest. Nam participatio cadere nequit in nihilum. Si namque alicujus rei participatio in nihilum cadere posset, jam nihilum aliquid esset, quod est contra hypothesim. Ergo de facto verum est, quod etc.

Potentia Dei deinde, licet inutilis sit, respectu illorum, quæ nunquam producit; attamen non idem sequitur respectu ipsius Dei, et respectu eorum, quæ ipse Deus producit. Et re quidem vera, Deus est ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est perfectissimus *intensive*, et *extensive* (p. 12. c. 2.). Ergo nihil perfectionis ipsi deest, alias enim perfectissimus non esset. Ergo est in seipso beatissimus. Quum autem potentia Dei non differat ab ipsa essentia Dei; sequitur, quod sicuti inutilis et otiosa non est essentia Dei respectu Dei; ita nec inutilis, et otiosa sit ejus potentia, respectu ipsiusmet Dei: et quum sit Deus in seipso beatissimus, sequitur, quod sive operetur potentia sua, sive non operetur, sive multum,

sive parum, sive nihil, semper idem est, adeoque semper utilissima, respectu ejus, sua omnipotentia.

Item respectu eorum, quæ produxit, non est otiosa divina omnipotentia, quia operata est in eis producendis, operaturque nunc in iisdem conservandis, ut cuique patet. Igitur potentia Dei, licet otiosa sit respectu eorum, quæ nunquam producit, non est tamen otiosa respectu ipsiusmet Dei, et respectu eorum, quæ creavit, creat, creabit, et conservat, conservabitque. Quare licet Deus non producat omnia possibilia, sua potentia, non sequitur tamen ipsam esse otiosam, inutilemque in seipso. Ergo etc.

Ob. II. Deus non potest facere, nisi ea, quæ se facturum esse prævidit. Atqui prævidit se facturum ea solum, quæ vult, et actu facit. Ergo etc.

Resp. Dist. maj. Potentia ordinaria, qua Deus juxta propositum voluntatis suæ operatur, c.; potentia absoluta, n. maj. conc. min. n. conseq. Igitur duplex in Deo distinguatur potentia, necesse est; una qua ea, quæ ab æterno se facturum, prævidit, ut liberrima caussa, et alia, qua omnia *intrinsece* possibilia facere potest. Vocamus primam ordinariam; absolutam alteram. Dicimus itaque, Deum non posse, potentia ordinaria, alia facere, præter ea, quæ vult, et actu quotidie fecit, facietque. Nam Deus potentia ordinaria nequit facere, nisi ea, quæ se facturum esse prævidit. Atqui Deus ea tantum prævidit, se facturum esse, quæ voluit, et actu facit. Ergo præter

ter ea, quæ vult, et actu facit, Deus nequit alia facere potentia *ordinaria*. Verum potentia absoluta, Deum posse alia (præter ea, quæ vult, et facit) facere omnino contendimus. Et re quidem vera, Deus potentia absoluta potest facere omnia intrinsece possibilia. Nam si non posset, jam aliquam perfectionem haberet, quæ non esset infinita, nempe potentiam, quod pugnat de Deo: est enim Deus ens a se (p. 1. c. 5.); ergo est perfectissimus *intensive* et *extensive* (p. 12. c. 2. et sch. ejusdem). Jamvero præter ea, quæ vult, facitque Deus, multa alia intrinsece possibilia sunt. Ergo si Deus omnia intrinsece possibilia facere potest, jam præter ea, quæ vult, facitque, multa alia facere potest potentia absoluta.

Inst. Atqui neque potentia absoluta potest Deus facere alia, præter ea, quæ se facturum esse prævidit. Ergo... Prob. subs. Sicuti Deus quacumque scientia nequit cognoscere alia, præter ea, quæ ab æterno cognovit; ita nequit quacumque potentia facere alia, præter ea, quæ ab æterno prævidit se facturum esse. Ergo etc. Prob. ant. In Deo, sicuti infinita est scientia, ita infinita quoque est sua potentia; ergo etc.

Resp. C. ant. n. conseq. et parit. Ratio igitur disparitatis est, quod scientia arguit perfectionem in sciente juxta proportionem suarum cognitionum. Adeoque, nisi Deus omnia omnino cognoscibilia cognovisset ab æterno, jam scientiam non habuisset infinitam ab æterno; quod est absurdum. Nam Deus est ens perfectissimum, ut centies di-

xi-

ximus. Quum igitur Deus ab æterno habuerit scientiam infinitam; sequitur, ipsum omnia omnino cognoscibilia cognovisse ab æterno. Ergo nihil cognoscibilis fuit ab æterno, quod non cognoverit ab æterno Deus. Et quoniam est ens a se (p. 1. c. 5.); adeoque (p. 2. c. 1.) immutabilis; sequitur, quod, sicuti ad æterno omnia omnino cognoscibilia cognovit, ita nequit alia, præter ea, quæ ab æterno cognovit, cognoscere.

Potentia autem non arguit perfectionem in potente, juxta proportionem rerum, quæ producit, sed juxta proportionem eorum, quæ producere potest, etiamsi nunquam produxerit; ut unusquisque sibi, de sua libertate, conscius est. Ecquis de facto negare potest, se, dum sano brachio gaudet, posse manum ad suum os removere, ad caput, ad pedes etc. se ire posse Romam, Neapolim etc. licet vel manum nunquam in aliquo dictorum imponat, vel nunquam ad loca prædicta se ferat? Quid? Deus erit nobis imperfectior? Id ne talpa quidem cæcior concedet. Item Deus est ens perfectissimum, et immutabile. Ergo est beatissimus in seipso. Ergo nullius eget. Igitur sive operatur aliqua producendo, sive multa, sive nihil, semper est in se perfectissimus. Ergo semper potentissimus. Ergo semper omnia *intrinsece* possibilia producere potest. Jamvero præter ea, quæ voluit Deus producere, et actu producit, sunt possibilia multa, et infinita alia. Ergo etc.

Prop. II. *Deus, sua absoluta potentia, omnia intrinsece possibilia facere potest*.

D. Nam, si non potest omnia, jam aliqua facere

cere nequit. Ergo ad aliqua non extenditur sua absoluta potentia. Ergo Deus habet potentiam limitatam. Jamvero hoc est absurdum. Nam Deus est ens a se (p. 1. c. 6.). Ergo est perfectissimus *intensive* et *extensive* (p. 12. c. 2.). Ergo, ne admittatur absurdum, dicendum, quod Deus etc.

Prop. III. *Quamlibet hujusce mundi adspectabilis partem, in se, perfectiorem fieri posse, intrinsece non repugnat.*

D. Illud enim non repugnat, quod nullam involvit contradictionem. Atqui quamlibet hujusce mundi partem fieri posse perfectiorem in se, nullam involvit contradictionem. Nam quam contradictionem involvit, posse hominem, ex. gr., altiorem corpore esse, quam est? Quam ne contradictionem item involvit, mentem capaciorem, quam habet, posse habere? Item quam contradictionem involvit, solem fieri posse grandiorem, lucidiorem etc.? Patet ergo apertissime, quod quælibet mundi hujusce etc.

Prop. IV. *Mundum hunc adspectabilem perfectiorem fieri posse, intrinsece possibile est.*

D. Illud namque est intrinsece possibile, quod, fieri posse in se, facillimum est, nullamque involvit contradictionem (sch. def. 2. c. 1.). Atqui mundum hunc adspectabilem perfectiorem fieri posse in se, facillimum est, nullamque involvit contradictionem. Nam quælibet mundi pars perfectior fieri potest (p. ant.). Atqui mundus ex istis suis partibus constat. Ergo si quælibet mundi pars perfectior fieri potest, sequitur, etiam

jam totum mundum perfectiorem fieri posse; aliter mundus perfectior in se fieri simul posset, et non. Fieri quidem, quia quælibet sua pars perfectior fieri potest (p. cit.). Non posset autem perfectior fieri, quia ita supponeretur. Quod pugnat (ax. 1. c. 1.). Ergo etc.

Prop. V. *Deus potest facere alium mundum, in se spectatum, perfectiorem hoc, quem fecit.*

D. Nam Deus potest sua absoluta potentia omnia intrinsece possibilia facere (p. 2. huj.). Atqui mundum hunc fieri perfectiorem intrinsece possibile est (p. ant.). Ergo Deus, sua absoluta potentia, potest mundum hunc adspectabilem perfectiorem facere. Jamvero dato uno possibili, infinita ei similia possibilia sunt (p 3. c. 2.). Ergo dato, quod Deus possit facere mundum hunc perfectiorem, quam est, sequitur, posse etiam alium, huic supposito perfectiorem, similem, facere. Ergo etc.

Prop. VI. *Deus supposito hoc fine, propter quem hunc mundum creavit, nequit facere alium hoc meliorem, respectu finis præsuppositi.*

D. I. Deus quippe est ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est perfectissimus (p. 12. c. 2.). Ergo quum operatur, sapientissime operatur; adeoque propter aliquem optimum finem; aliter enim operaretur sine providentia, et fortuito; quod implicat in Ente perfectissimo. Jamvero ad optimum assequendum finem, optimum medium requiritur. Ergo ut Deus intentum optimum finem, propter quem mundum hunc creavit, assequeretur, optimum medium eligere debuit. Atqui medium ad as-

assequendum optimum finem, propter quem mundum creavit, est mundus hic adspectabilis. Ergo. Adeoque...

II. Si mundus hic adspectabilis non esset optimus respectu finis, propter quem Deus illum creavit, Deus, mediante hoc adspectabili mundo, non consequeretur finem, propter quem ipsum mundum creavit; vel si consequeretur, non consequeretur modo perfectissimo. Atqui utrumque absurdum. Nam I. Si Deus non consequeretur, mediante mundo, propositum finem, vel id esset, quia non posset ipsum finem, tali medio, consequi, vel quia repugnaret ex parte mundi. Atqui ex parte mundi non pugnat, quia perfectior fieri potest (p. 4. huj.). Dicere autem, Deum non posse propositum finem consequi, idem esset, ac dicere, Deum ignoranter mundum creasse, atque, in eo creando, illum finem sibi proposuisse assequuturum, quem postea assequi non potuisset; quod putidissimum est absurdum. II. Si porro Deus propositum finem, modo perfectissimo, non consequeretur, vel id esset, quia nollet, vel quia non posset. Si nollet, jam mundum cum praeintento fine simul, et sine ullo fine produxisset: cum fine, per hypothesim; sine fine, quia nullum consequi vellet, quod est absurdum (ax. 1. c. 1.). Item fortuito, et casu, non vero cum consilio mundum produxisset, quod nonnisi Spinoza concedet. Si autem non potuisset finem propositum assequi, in mundi productione, jam non esset infinitae potentiae; quod putidissimum pariter absurdum est (p. 12. c. 2.). Ergo Deus

Deus debuit consequi, et de facto, in hujus mundi productione, consequutus est optimum finem; adeoque optimum elegit medium. Ergo quum mundus hic adspectabilis, hoc in casu, sit medium; sequitur, ipsum mundum, præsupposito Dei fine, esse omnium possibilium optimum. Ergo etc.

Coroll. Ergo respectu finis, quem sibi proposuit Deus in mundi hujus creatione, mundus hic adspectabilis est optimus ex omnibus possibilibus, qui fieri poterant.

Prop. VII. *Mundus hic adspectabilis, in se spectatus, non est omnium possibilium optimus.*

D. Nam Deus potest facere alium mundum in se spectatum, hoc perfectiorem (p. 5. huj.). Ergo est possibilis alius mundus, qui in se spectatus, sit, hoc adspectabili, perfectior. Quare mundus hic adspectabilis, etc. Q. E. O.

Objectiones.

Ob. I. Deus est agens sapientissimus. Ergo omnium possibilium optimum eligit in operando. Atqui produxit hunc mundum. Ergo produxit omnium possibilium optimum, quapropter falsa prop.

Resp. Dist. prim. cons. Ratione finis, c., ratione entitatis, n. conseq. et, ipsissimo modo distincto secundo conseq., n. ultimam conseq. Deus itaque semper optima eligit ratione finis. Nam Deus est agens sapientissimus. Ergo optima ad propositum finem correspondentia eligere debet;

aliter enim optimo, sapientissimoque modo non operaretur; quod de Deo neutiquam dici potest. Non autem optima eligit ratione entitatis eorum, quæ producit. Nam si ita esset, jam Deus vel unam rem tantum perfectissimam unius generis produxisset, vel multa, sed in omni æqualia. Si namque una ex productis, aliquo modo, altera imperfectior esset, jam Deus, adversariorum sententia, optimum, in talem rem producendo, non elegisset. Jamvero ex iis, quæ Deus produxit, in se spectatum quodcumque, semper quoad entitatem perfectius fieri posse concipitur, nec unam rem tantum perfectissimam produxit Deus, nec multas, sine aliis diversi generis, in omni æquales. Ergo Deus, in operando, non eligit optima, ratione entitatis, sed ratione finis; quum ergo produxerit mundum, meliorem produxit, non ratione entitatis; nam Deus alium hoc perfectiorem producere potest (p. 5. huj.), sed ratione finis (4).

Inst. Atqui Deus optima eligit, etiam quoad entitatem; ergo etc. Prob. subs. Si non eligit optima, etiam quoad entitatem, jam vel esset invidus, vel injustus; sed neutrum de Deo dici potest. Ergo etc. Prob. maj. Si, in operando, Deus optima non eligit, non dat creaturis, quæ dare potest; ergo vel esset injustus, vel invidus.

Resp. Dist. ant. Non dat creaturis *omnia*, quæ dare

(4) Legatur Lexicon Theologicum Joannis Altenstaig voc. *Facere*.

dare potest, c., non dat aliqua sibi placita, n. quare neg. conseq. Igitur verum est, quod, si Deus non eligit optima, quoad entitatem, in operando, jam non dat creaturis omnia, quæ dare potest. Nam creaturæ, quæ producuntur a Deo, præsertim quia plures sunt, non sunt quidem perfectissimæ, in se consideratæ. Item Deus est ens a se (p. 1. c. 5.). Ergo est perfectissimus (p. 12. c. 2.). Ergo est ens liberrimum. Quum igitur sit Deus liberrimus, summa libertate operetur oportet. Ergo in operando dat creaturis quod vult tantum, et non omnia, quæ ipsis dare potest. Et re quidem vera, tunc Deus creaturis deberet dare omnia, quæ posset, quando vel necessario operaretur, vel creaturis indigeret. Jamvero Deus nec eget creaturis; est enim ens a se: ergo perfectissimus (p. 12. c. 2.); adeoque beatissimus; nec necessario operatur; est enim liberrimus, uti jam diximus. Ergo non debet dare creaturis omnia, quæ potest ipsis dare, sed sufficit, quod det eis aliqua tantum sibi placita. Neque ex hoc sequitur, Deum vel invidum esse vel injustum. Nam I. Deus nihil debet creaturis. Ergo vel aliqua, vel nihil ipsis, quando eas producit, det, semper justus est; quia quidquid eis dat, propria sua bonitate dat. II. Deus tunc invidus esset, quando ideo non daret aliquid creaturis, quia earum felicitatem odio haberet. Jamvero odium felicitatis alienæ in eum cadit, qui perfectissimus supra omnia non est. Quare quum Deus supra omnia perfectissimus sit; sequitur, ipsum invidum esse non posse. Ergo ex eo, quod

 ali-

aliqua tantum det Deus, et non omnia, quæ potest creaturis, non sequitur, ipsum invidum esse, vel injustum. Quare ex eo, quod non eligat semper optima, in operando, non sequitur aliquod absurdum.

Ceterum si Deus, in operando, semper optima eligeret, jam vel unam excellentissimam tantum substantiam produxisset, vel omnia æqualia; quod observationi contrarium est. Sunt siquidem alia aliis perfectiora in iis, quæ a Deo producta sunt. Ergo Deus, in operando, non semper eligit optima. Adeoque posito, quod mundus hic adspectabilis non sit omnium possibilium optimus, in se spectatus, non sequitur aliquod absurdum. Ergo non est revera etc.

Objectio II.

Deus operatur propter suam bonitatem creaturis communicandam. Atqui Dei bonitas est omnium optima. Ergo, ut hanc creaturis communicet, mundum perfectissimum, *in se spectatum*, producere debet.

Resp. C. maj. (5). c. min. n. conseq. Nam tunc

---

(5) Concedo itaque, Deum operari, *ad extra*, propter *bonitatem creaturis communicandam*, quia *bonitas* jam in omni opere Dei apparet. Verum *finem principalissimum*, ſeu ultimum omnino, propter quem Deus produxit mundum, fateor me ignorare. Nam, cur voluit Deus creaturis bonitatem ſuam communicare? Reſpondebitur *propter gloriam suam accidentalem* (ut ajunt), *&* *externam*. At, cur hanc

tunc Deus perfectiſſimum aliquod in se produceret, quando operaretur ad extremum virium. Jamvero Deus, in mundi hujus productione, non operatus est ad extremum virium. Si enim ad extremum virium operatus fuisset, jam nihil in genere suo non esset perfectiſſimum. Quare licet Deus operaretur propter suam bonitatem creaturis communicandam, tamen non producit perfectiſſima *in se*, quæ producit, sed perfectiſſima *ratione finis*.

Præterea Deum semper ob aliquem perfectiſſimum finem operari, jam diximus: Ergo ad optime operandum, et ad optime bonitatem, aliaque sua attributa communicanda, sufficit, ut optima media ad illum finem consequendum apta, eligat; quod in hujusce mundi productione reapse fecisse, supra ostendimus (p. ant.). Ergo quum nihil obstet communicatio horum attributorum Dei, cum mundo hoc adspectabili, licet non sit optimus *in se spectatus*; dicendum, revera in se spectatum optimum omnium possibilium non esse.

Scholium generale.

I. Restat nunc videndum, quoad originem mundi, II. An unus sit, vel plures: III. An sit finitus mole seu extensione: IV. Quot anni transacti

---

hanc gloriam vult Deus? Tacere incipit humana ratio. Quid ſi iterum ſuperius interrogabimus? Vide *adnot.* 4., & 13. *cap.* 6.

cti jam sunt a momento illo productionis mundi. V. Quonam anni tempore productus sit, quonam mense, quonam die. VI. An productus sit in instanti ex nihilo sic conformatus, et ordinatus, uti nunc est. Quibus breviter reponimus. Dicimus itaque ad primum, quod Metrodorus, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarchus, Xenophanes, Leucippus, Epicurus, et Anaxarchus (quem Anaxarchum audiens (1) Alexander Macedo de infinitate mundorum disserentem flevisse dicitur) mundos infinitos admiserunt. Plures mundos esse dixerunt Manichæi, sed finitos. Innumerabiles Democritici admiserunt. Pythagoras tot mundos esse ait, quot sunt stellæ, quemadmodum Plutarchus (2) refert. Econtra unum admittunt alii, nobiscum (3).

II. Dicimus vero, quod si per *mundum* isti intelligant universitatem rerum corporearum a Deo productarum; mundum unum esse sponte sequitur. Oppositum namque esset contra hypothesim. Si vero planetas per *mundum* intelligant. Dico 1. contra eos, qui mundos infinitos admittunt; mundos infinitos esse non posse in actu. Nam Deus nequit creaturæ infinitum aliquod attributum communicare (p. 1. c. 9.). Jamvero si mundi infiniti numero essent, jam simul juncti infinitam actu

(1) Ut refert Plutarchus *lib. de tranquillitate animi*.
(2) De Plac. Philoſ. *lib.* 2. *cap.* 13.
(3) De hac quæſt. de unitate mundi agit B. Thomas 1. *p.* *q.* 47. *art.* 3. unde legatur ibi S. Doctor.

actu extensionem, eorum mundorum materia, haberet. Si ergo aliquod infinitum attributum nequit Deus communicare; sequitur, mundos infinitos actu esse non posse. Item materia mundana non est infinite extensa (p. 7. c. 8.). Ergo nequeunt mundi esse actu infiniti. Item si mundi jam exstant infiniti, vel adamussim in totis superficiebus adinvicem conjuncti sunt, vel medium aliquod inter unum, et alium adest. Primum contrarium est nostræ continuæ observationi. Nam ab hoc nostro planeta, ad planetam Lunæ, et a planeta Lunæ ad Martis, Jovis etc. quanta non adest distantia? Nonne alii planetæ interjici, inter exstantes, possunt? Ergo nequeunt esse infiniti planetæ. Ergo si planetas, nomine mundi, intelligant, qui mundos admittunt infinitos, quum planetæ non sint infiniti, nec mundi infiniti esse possunt. Adeoque infinitos mundos exstare actu falsissimum omnino est.

III. Dico II. contra eos, qui mundos plures numero admittunt, non vero infinitos, quod mundi plures non exstant. Nam I. nullum argumentum habemus, præter mundum hunc nostrum, alios esse mundos. Sed quod pura adfirmatione adfirmatur, pura negatione (in rebus tamen naturalibus philosophicis) negari possunt. Ergo, quum adversarii pura adfirmatione plures exstare mundos adfirment, pura negatione id nos negamus. II. Quoties divina Scriptura de mundo loquitur, semper singulariter loquitur. Sic Joa. 1. v. 10. ***Mundus***, ait, *per ipsum factus est*; et infini-

nita ejusmodi habentur in sacris Litteris (4). Idem Catholici alii sentiunt. Deinde dico, plures mundos exstare posse, non pugnat. Nam si pugnaret, id vel ex parte Dei esset, vel ex parte mundorum. Non ex parte Dei; siquidem Deus potentia infinita præditus semper est. Ergo sicuti potens, in hujusce solius mundi creatione, fuit (in nostra unius mundi hypothesi), ita est nunc, ita erit semper. Quare sicuti potuit unum, ita potuit, vel potest producere plures. Nec pugnat id ex parte mundorum. Nam sicuti productus est iste, produci possunt alii huic similes. Ergo revera non pugnat, plures exstare posse mundos. Item sententia, quæ plurium mundorum possibilitatem negabat, fuit reprobata, et damnata, tamquam erronea, et falsa ab Universitate Parisiensi, sub Stephano ejusdem Civitatis Episcopo, ut refert Magister sententiarum in fine *libri quarti*. Ergo revera dicere possumus, *mundos plures non exstare, sed unum tantum*; *et posse plures exstare, non pugnare omnino*.

IV. Videndum secundo est, an mundus, qui jam unum esse tantum (§. ant.), ostendimus, sit extensione finitus, vel infinitus. Circa id quæsitum Lucretius, cum aliis Epicureis, mundum hunc extensionis infinitæ esse, adfirmarunt. Unde sic cecinit ipse:

Non habet extremum, caret ergo fine, modoque In-

(4) Legatur Lucius noſter Ferraris in Biblioth. voc. *Mundus n. 6.*

Infinitæ pariter extensionis esse mundum dixerunt Spinozistæ omnes. Oppositum tenent alii, nobiscum. Et re quidem vera, mundum creatum esse a Deo, jam demonstravimus. Ergo non est extensionis infinitæ. Nam si mundus extensionis infinitæ esset, jam Deus communicasset creaturæ, idest mundo, aliquod infinitum attributum, nempe infinitatem. Sed hoc fieri nequit, ut demonstravimus supra. Ergo nequit mundus esse infinitæ extensionis. Item motus est translatio corporis de loco in locum. Id sine vacuo fieri nequit. Exstat ergo aliquod vacuum. Jamvero, ubi vacuum adest, nequit esse corpus. Ergo si adest vacuum, non potest esse infinitæ extensionis hic mundus. Denique, uno verbo resolvi potest; scilicet: materiam mundanam finitam esse, supra demonstravimus. Ergo mundus est finitus. Est igitur mundus hic adspectabilis finitæ extensionis.

V. Ad tertium, dicimus, a tempore, quod mundus creatus est, sex mille circiter annos transactos esse. Idque, quum ratione naturali nequeat demonstrari, ideo divina revelatione probatur peroptime, uti videre est apud Theologos, apud omnes præsertim sacros expositores. Quorum rationes afferre brevitatis gratia prætermittimus.

VI. Circa anni tempestatem, qua mundus productus est, circa mensem, et diem, dicimus, quod S. Hieronymus, Lirantis, Tostatus, Petavius, aliique multi, voluerunt, mundum creatum fuisse tempore æquinoctii autumnalis. Alii vero permulti, ut S. Athanasius, Ambrosius, Augustinus, et ceteri Sancti, et primæ classis Doctores, te-

tenuerunt, mundum creatum fuisse in æquinoctio verno. His positis, nos tantum subscribimus sententiæ Palæstini Concilii de mandato Victoris Papæ congregati a Theophilo Episcopo Cæsariensi, quæ ita se habet: „ Nunc ergo investigavimus, „ quomodo in principio factus fuerit mundus, „ idest die Dominico, verno tempore, in æqui- „ noctio, quod est octavo Kalendarum Aprilium, „ Luna plena: per ipsum tantummodo tempus, et „ elementa resurgunt (5) „.

VII. Ad ultimum tandem quæsitum, quod spectat, dicimus, mundum, quoad materiam quidem, creatum fuisse in temporis instanti, non vero quoad formam, sed conformatum esse, et ordinatum, sicuti nunc est, sex dierum spatio. Unde (ut alios mittam SS. Doctores) D. Gregorius Magnus (6) cap. 10. optime hanc nostram sententiam confirmat, dicens: „ Qui diversis diebus „ creatum Cœlum, et Terram, virgultum, her- „ bamque narraverat, nunc uno die facta mani- „ festat: ut liquido ostenderet, quod creatura o- „ mnis simul per substantiam exstitit, quamvis „ non simul per speciem processit (*) „.

Et

(5) Legatur Paravicinus in *Polyanthea Sacrorum Canonum* voc. *Creatio mundi*; & Lucius Ferraris *loc. cit.* (*in adnotatione* 4. *huj. schol.*) *n.* 10.

(6) Lib. 32. Moralium *cap.* 10.

(*) Concludimus cum D. Gregorio Nazianzeno (Jambico 15.), qui ſummatim ac paucis, en quomodo pene omnia, de quibus in hac prima parte diſputavimus perbelle attingit: *Quid est*, inquit, *Deus? Est ens, primum omnium* &

Et hæc dicere ſtatui, ad majorem hujuſce partis I. explicationem quæ ſatis, ſuperque ſunt ad dubia iſta ſolvenda, quæ a junioribus fieri potuiſſent, circa mundi originem.

UNI, TRINOQUE DOMINO, SIT LAUS, HONOR, ET GLORIA.

F I N I S.

IN-

& ſummum bonum. Quid eſt Angelus? Prima Dei creatura. Quid Dæmon? Devians a bono. Quid eſt materia? Formarum baſis. Quid forma? Materiæ decor. Quid Cælum? Rerum caducarum, & firmarum limes. Quid aſtra? Flamma circuli curſum tenens. Quid ævum? Quod abſque tempore aſſidue fluit. Quid tempus? Menſura motus, quem ſol facit. Quid homo? Figmentum & imago nobilis Dei: Quid vita? Nexus carnis, et motus. Quid mors? Utriuſque divulſio. Quid mens? Viſus interior nullum terminum habens. Quid voluntas? Motus mentis. Quid ratio? Quæ verum veſtigat. Quid ſermo? Qui idipſum eloquitur. Quid liberum arbitrium? Velle moveri quo libet.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Junioribus Philoſophis præfatiuncula. Pag. IX

PARS PRIMA.

CAPUT I.

In quo demonſtratur I. Exſiſtere nos. II. Exſtare Ens aliquod æternum et a ſe, in quo eſt ratio ſufficiens omnium contingentium. III. Seriem entium contingentium ſive finitam, ſive infinitam, omnino repugnare, ſine Ente æterno, in quo ſit eorum ratio. 2

CAPUT II.

In quo demonſtrantur præcipua attributa Entis æterni, cujus exſiſtentiam modo oſtendimus. 20

CA-

CAPUT III.

In quo demonstratur I. Materiam primam Aristotelis non esse Ens æternum, de quo in antecedentibus loquuti sumus; 2. Neque item Atomos Epicureorum. 35

CAPUT IV.

In quo demonstratur, Mundum hunc adspectabilem, non esse Ens æternum. 46

CAPUT V.

In quo demonstratur I. Deum, quem sanæ mentis Philosophi exstare tenuerunt, tenentque nunc, esse Ens æternum, de quo in antecedentibus loquuti sumus. II. Exstare de facto Deum istum. 58

CAPUT VI.

In quo demonstratur 1. Mundum suimet ipsius caussam non fuisse. 2. Productum non fuisse a nihilo, vi ipsiusmet nihili. Quare 3. productum fuisse ab aliquo extra se. 4. Productum non fuisse ab aliquo, præterquam ab Ente a se, scilicet a Deo. 5. Deum esse caussam effectricem mundi hujus adspectabilis. 71

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

In quo demonstratur 1. *Mundum productum fuiſſe a Deo per creationem* ; 2. *adeoque actu voluntatis ſuæ*. 3. *creaſſe illum libere*. 4. *prius in ſe concepiſſe*, *et poſtea illum produxiſſe in tempore ſibi placito*. 78

CAPUT VIII.

In quo demonſtratur 1. *Spatium vacuum eſſe poſſibile*: 2. *Exſtare*, *de facto*, *iſtiuſmodi ſpatium*; *et quidem infinitum*. 3. *Idque non eſſe ſubſtantiam mediam a Deo*, *et a materia independenter diſtinctam*. 4. *Spatium*, *item*, *non fuiſſe creatum a Deo*. 5. *Non eſſe ambientis corporum ſuperficiem*. 6. *Neque ſubtiliſſimum fluidum*. 7. *Neque Dei immenſitatem*. 8. *Sed eſſe capacitatem quandam tantum*, *negativam corporum recipiendorum*. 106

CAPUT IX.

In quo demonſtratur I. Mundum creari non potuiſſe a Deo ab æterno. *II. Creatum revera ab æterno non fuiſſe*. *III. Ergo creatum fuiſſe in tempore*, *hoc eſt habuiſſe initium*. 141

CAPUT X.

In quo demonſtratur I. Deum poſſe alia facere, *præter ea*, *quæ vult facere*, *et actu facit. II. Deum poſſe*

posse facere alium mundum, in se spectatum, hoc adspectabili perfectiorem. III. Posito fine, quem Deus habuit, in productione hujusce universi, non posse facere alium mundum, qui, dato fini, melius respondeat. IV. Ergo mundum hunc adspectabilem esse omnium possibilium optimum, qui proposito Dei fini respondeat. V. Mundum hunc adspectabilem, non esse (in se spectatum) omnium possibilium optimum. 162

ELE-

ELEMENTA
COSMOLOGICO=METAPHYSICA
MATHEMATICO ORDINE DISPOSITA:

PARS SECUNDA.

N

Digitized by Google

Digitized by Google

JUNIORIBUS PHILOSOPHIS

PRÆFATIUNCULA.

I. P*Lurimum sermonis, hæc præfatio de* Ordine *; et* Conservatione *Mundi, non habebit. In præfatione siquidem, quæ a nobis priori parti hujus operis præposita fuit, summatim attigimus, quæ, in hac altera parte, in disquisitionem veniunt. Adeoque pauca hic tantum, iisdem, quæ ibi diximus, subnectemus.*

II. *Scientia itaque* Ordinis, *et* Conservationis *Universi nobis maxime necessaria est, et valde utilis. Ex ordine enim ipsius Universi*, Sapientia *Dei; ex conservatione*, Bonitas; *ex utrisque vero simul*, Exsistentia *Dei patescit, et* Potentia, *aliaque multa attributa. Nos autem ad hoc nati sumus, ut Deum cognoscamus, eumque cognoscendo, amemus; amando eum, fruamur; et sic in æternum beati simus.*

III. *Jamvero Universus hic adspectabilis magnus admodum, et amplus est liber* (1), *in quo multa*

(1) Mundum eſſe *LIBRUM Divinitatis*, ajebat Triſmegiſtus. Idem ait S. Baſilius hom. II. in Hexaem. Idem adſerit Chryſoſtomus in Pſal. 148. Idem pene habet S. Auguſtinus (in Pſal. 26.) ibi. „ Circumeat animus tuus per u„ niverſam creaturam, undique tibi clamabit creatura, DEUS „ ME

Dei attributa leguntur. *Genera* (2) *diversa rerum sunt veluti ejus libri exigui codices; rerum species sunt veluti folia; individua veluti versus; proprietates, et qualitates individuorum sunt veluti dictiones; earumque proprietatum vires seu virtutes sunt veluti syllabæ; illarum tandem virium effectus sunt veluti litteræ. Lingua, qua liber iste a Deo conscriptus fuit, est omnibus, ratione et discursu utentibus, manifesta.* In promptu enim est (*ait S. Bernardus serm.* 31. *in Cant.*), juxta Apostolum, omni utenti ratione invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicere. *Hinc de Dei exsistentia ignorantia non excusat.* Quum autem de eo, quem non vides, cetera vides (*ait idem Bernardus loc.*

„ ME FECIT. Quidquid te delectaverit in arte, artificem „ commendat, magiſque ſi circumeas univerſa, conſideratio „ concipit artificis laudem. Vides Cœlos, magna opera Dei „ ſunt. Vides Terram, Deus ſecit, ſemina innumera, di- „ verſitatem germinum, multitudinem animalium. Circui ad- „ huc Cœlos uſque ad Terram, nihil relinquas. Undique „ tibi reſonant Conditorem. Et ipſa ſpecies creaturarum „ VOCES ſunt quædam Creatorem laudantium. Et alibi (Soliloquiis cap. 31.). „ Interrogavi, ait, MUNDI MO- „ LEM: dic mihi ſi es Deus meus, an non? Et reſpondit „ voce forti: Non ſum, inquit, ego, ſed per ipſum ſum „ ego: quem quæris in me„ ipſe fecit me; ſuper me quære „ eum, qui regit me, qui fecit me„. Vide eundem S. Doctorem *ser.* 143. *de Temp.* & *Confess. lib.* 10. *c.* 6.

(2) Hoc autem non dicimus, quod *realiter*, extra nos, ſive *genera*, ſeu *species*, ut abſtracte concipimus, exſiſtentiam habeant; quidquid enim exſiſtit ſingulare eſt: ſed taliter hæc, qualiter a nobis abſtractis conceptibus apprehenduntur, innuere intelligimus. Vide noſtræ Logicæ *elem. cap.* 2. *lib.* 1. §. 15. *can.* 1., *et adnot.* 6. *ad cap.* 1. *ejusdem lib.* 1.

loc. cit.), scis indubitanter exsistere, quem oportet inquirere; ut inquirentem non fraudet gratia, ignorantem negligentia non excuset. *Methodus autem, qua mundum conspicere oportet, synthetica primum videtur magis apta; postea analytica: tantem methodus mixta. At consulantur, quæ nos lib. 4. Elem. Log. pertractavimus.*

IV. *Sed mundus hic adspectabilis, licet sit veluti quidam, ut diximus, amplissimus liber; non ab omnibus tamen eodem modo perspicitur. Quidam, in eo, solas admirantur* litteras, *idest rerum effectus, quibus ipsi afficiuntur* (3): *alii* syllabas, *hoc est caussas illorum effectuum proximas: alii* dictiones, *caussas nempe paullo remotiores: alii perfecte (nec tamen intelligentes)* legunt, *scilicet magnam caussarum seriem abstracte et sicce contemplantur: alii et legunt, et intelligunt admirabilem ipsius mundi* scripturam; *series nempe caussarum ordinatas, coordinatas, ex effectibus, respective, periclitantur, easque, quemadmodum ad primam, ac supremam caussam, Deum, referantur, diligentissime perspectant, ac disertissime pertractant; sicque multas ipsius Dei proprietates cognoscunt; et tamen, licet cognoscant Deum, non sicut Deum glorificant, aut ipsi gratias agunt, sed in sola contemplatione contabescunt; immo ita effrænes vivunt, ac si Deum minime cognoscerent,*

(3) Ejuſmodi ſunt quidam de vulgo imperitiſſimi; & homines ſilveſtres; ac tandem impii, ac corrupti, & ſenſuum voluptatibus dediti. Conſ. Epiſtolam Sancti Apoſtoli Judæ, quoad iſtos ultimos.

rent. Tales, quales isti, fuere Gentiles Philosophi, de quibus multa habet Apostolus in Epist. ad Romanos cap. 1. *Tandem sunt et qui mundum, ut prædicti isti ultimi, cognoscunt, et Deum, ex ipsis rebus creatis; attamen, fide quoque adjuti, Deum ipsum, pro viribus, amant, glorificant, laudant, ipsique intime adhærent, fideliter servientes, atque, ad ipsum æternaliter possidendum, jugiter aspirant. Et hæc est illa vera, quam de mundo hoc adspectabili haurire debemus cognitionem.*

V. *Quapropter, Universi ordinem utiliter contemplemur. Perspiciamus etiam, quæ, et quanta nobis beneficia,* Dei conservantis *largitate, impertiantur assidue: Conservatio enim continuata creatio est. Ergo, quæ Deus in creatione nobis donavit, eadem, singulis exigui temporis punctis, et donat, et partim auget. Ponamus itaque, ante oculos mentis nostræ, illud D. Ambrosii* (de dign. cond. hum. cap. 1.) *ibi*: Jubemur diligere Conditorem, ut in quantum intelligitur, diligatur; et in quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas: immo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mentibus intelligentis, et diligentis maneat Deus; ut sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate, et misericordia: ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria.

VI. *Igitur legamus continuo, in præcellenti hoc mundi libro, legamus, et intelligamus, cujusmodi efficiebat S. Antonius, S. Bernardus, S. Franciscus As-*

Assisias; *aliique Sancti*. *Hic enim mundus admotus est sensibus*, *quo mens nostra erigeretur*: *et exhibitus est oculis*, *quo exerceretur intellectus*: *ut Deum invisibilem*, *per invisibilia opera*, *miraremur*; *atque nunc*, *erecti per fidem*, *et purgati per fidem*, *etiam ipsum invisibilem diligeremus*, *eumque videre*, *ipsoque frui æternum*, *cuperemus*, *quem de rebus visibilibus*, *invisibilem nosceremus*. *At*, *in hac lectione*, *recordemur*, *quod*, lectio, *quædam est* interrogatio, *nostra*, *cui liber respondet*. *Jamvero* interrogatio creaturarum (*concludo cum Augustino* Solil. c. 31.) PROFUNDA est CONSIDERATIO ipsarum: responsio earum, ATTESTATIO ipsarum de DEO, quoniam omnia clamant, DEUS NOS FECIT, quoniam, ut ait Apostolus: Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur.

Sicut in Cœlo omnia sunt ORDINATA ; quia videlicet ibi sunt Planetæ ordinati, unus super alium, qui quidem ORDO nunquam deficit aut cessat ; sic spiritualiter in terra, id est, in nobis, mores, et virtutes nostræ debent esse ordinatæ.

Petrus Berchorius *Diction. Moral.* *art.* Ordo.

ELEMENTORUM

COSMOLOGICO = METAPHYSICORUM

PARS SECUNDA.

IN QUA PRINCIPIA AD MUNDI ORDINEM, ET CONSERVATIONEM SPECTANTIA, CONTINENTUR.

QUæ, eorum plura, ad mundi *originem* attinebant, hucusque, auxiliante Domino, pertractavimus. Restat ergo, ut nunc de iis sermonem instituamus, quæ ejusdem mundi *Ordinem*, et *Conservationem* respiciunt. Hæc, in ista nostri operis parte, expedire (§. 4. *præfat.* 1. *jun. Philos.*) polliciti sumus: hæc perficiemus; et quidem eadem ratione, et ordine, quibus primam partem absolvimus. Sit ergo

CA-

CAPUT I.

In quo demonstratur I. In mundo hoc adspectabili regnare ordinem, seu mundum ordinatum esse. II. Exstare leges, juxta quas talis mundi ordo procedit. III Hujusmodi leges adsignantur. IV. Mundi ordinem habere primam rationem sufficientem sui in legibus Cosmologicis, ultimam vero in Deo O. Maximo.

Definitiones.

Def. I. Ordo est plurium entium sive permanentium, sive successivorum ita connexa series, ut antecedens spectet consequens, ejusque rationem sufficientem contineat, consequens sit finis antecedentis, omnia vero ad communem aliquem finem directa sint. Oppositum ordinis, *Chaos* nuncupatur.

Scholion.

„ Duplex est ordo considerandus in rebus (1):
„ unus, quo aliquid creatum ordinatur ad aliud
„ creatum: sicut partes ordinantur ad totum, et
„ accidentia ad substantias, et unaquæque res ad
„ suum finem. Alius ordo, quo omnia creata ordi-

(1) Ita S. Thomas 1. *p. quæst.* 21. *art.* 1. *ad* 3.

„ dinantur in Deum „. *Regulæ ordinis* porro sta-tui solent, ut entia breviore, faciliore, suaviore, atque utiliore ratione ordinentur.

Def. II. Leges naturæ (juxta Cosmologicos) sunt regulæ illæ, secundum quas, Auctor mundi Deus, statuit, motiones provenire in hac rerum universitate, quibusque fit, (Deus illas conservando) ne Mundus sit Chaos.

Def. III. Leges porro naturæ, secundum Ethicos, sunt illæ, secundum quas, Deus Auctor substantiarum liberarum, docet (mediante rationis lumine), ac præcipit, ut homines suas liberas actiones conforment (2).

Def.

---

(2) Non deſunt, qui, *legis naturæ* ſeu *moralitatis* nomine, intelligant naturales illas humanæ noſtræ naturæ propenſiones, & impetus, quibus ad aliquid, veluti pondere quodam, trahimur, ut maris cum fæmina conjunctio, amor propriæ prolis, & ſimilia. Verum quia hæc etiam in animantibus brutis, & quidem ſtupidiſſimis, æqualiter, ac in hominibus, reperiuntur, & ſæpe ſæpius in iſtis contra omnem rationem excitantur; ideo non *morales*, ſed leges animalium *mechanicæ* potius vocandæ ſunt. Quidam ſimiliter legis moralis naturæ nomine intelligunt *rectæ rationis dictamen*, quo, ad quæ agenda, vel omittenda ſunt, nos moveri ſentimus. Verum, *dictamen* rationis rectæ, uti patet vel ex ipſomet vocabulo, eſt medium potius, quo moralitatis leges menti promulgentur, non vero ipſum eſt lex moralitatis. Omnes porro morales leges, quæ, ad homines ſpectant, ad has, quas ſubnectimus, reducuntur. Omnis ſiquidem lex aut *divina* eſt, quæ a Deo, aut *humana*, quæ ab homine, ſancita eſt. Lex autem divina ſubdividitur in *æternam*, *naturalem*, & *poſitivam*. Poſitiva in *veterem*, quam Deus Moyſi per Angelum, & per Moyſem Iſraelitis, dedit: & *novam*, quæ a Chri-

Def. IV. Vis est agendi conatus. Et duplex est, *viva* nempe, vel *mortua*. *Viva actio* est ille alicujus rei conatus, qui cum actione conjunctus est; ut vis flammæ, quæ seipsam agitat, et similia. *Actio* autem *mortua* est ille conatus, qui propter aliquod impedimentum, nullam producit actionem; tales sunt seminum vires ad plantas producendas, et ovorum ad producenda animalia; quæ licet habeant potentiam ad talia producenda, non

---

a Chriſto Domino lata fuit omnibus hominibus, & per Apoſtolos ſuos promulgata.

Humana lex porro dividitur in *Eccleſiaſticam*, quæ a poteſtate eccleſiaſtica & ſpirituali jubetur. Leges hujuſmodi a Papa, & a Concilio Generali, pro omnibus Chriſtianis, rite baptizatis, fieri poſſunt. Ab aliis vero animarum Paſtoribus, & ab aliis Conciliis, quæ Generalia non ſunt, pro illis tantum Chriſtianis, qui ſunt ipſorum juriſdictioni ſubjecti. Alia pars diviſionis legis *humanæ* eſt lex *Civilis*, quæ a poteſtate ſeculari, reſpective ad propriam juriſdictionem, fertur. Prætetea *lex æterna*, ſecundum D.Auguſtinum (cont. Fauſtum Manichæum l. 22. c. 27.) *est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*. Eadem hæc eſt cum lege *naturali*. Differt ſolum, quod, quatenus *principiative* in Deo, dicitur *æterna*; quatenus *participative* in creaturis, ipſis, per lumen naturale, promulgata, *in tempore*; dicitur *naturalis*.

Tandem legis moralis (abſolutæ acceptæ) *actus*, ſeu *effectus*, ſunt: *Præcipere*, *Prohibere*, *Permittere*, *Obligare*. Aſt, quæritur, ubi leges *permittunt* tantum, quomodo *obligant*? Ubi *poſitive* permittunt, prohibent, ne quis impediatur, volens *ea permiſſione* uti: ubi vero *negative* (utpote malum ex genere ſuo) vetant, judices, ne puniant: eoſque diſſimulare, jubent.

non possunt tamen producere, eo quod actu non foventur.

SCHOLION.

Duplicis præfati generis vires esse; et abundanter quidem, in hac rerum universitate, solus negabit Scepticismi effrænis patronus. Nam primo ecquis negare potest ignis, plantarum, aliarumque rerum activarum conatus, actioni, atque eorum ipsorum effectui conjunctos esse? Deinde patet cuique, semina vim habere producendi plantas, folia, fructus, quæ tamen, aliquod ob impedimentum, actu nullimode producunt. Idem de ovis dicatur. Item omne corpus conatur ad conservationem perennem proprii status, motus nempe, vel quietis; et tamen, ob aliquod obstaculum, id conservare non potest.

Def. V. Attractio seu tractio est actus movendi aliquam potentiam, qua mobile attrahitur, vel ducitur ad movens.

SCHOLION.

Multum controvertitur inter Philosophos, quanam vi corpus aliquod ad aliud naturaliter accedat, videlicet, quomodo fiat attractio, jam a nobis nunc definita. Visum namque fuit antiquis Physicis, corpora attrahentia, attractricem habere insitam quandam vim, qua corpora absentia ad se attrahere possunt. Hæc porro *attractia* ad majorem explicationem, vocatur a Peripateticis

su-

ſuctio, *motio attractionis*; dicunt item, in multis, locum habere, ut in suctione aeris, quam sæpe libere, et pro libito facimus, in suctione aquæ, aliorumque liquorum. Per hujusmodi item attractionem putant, quod magnes revera, sua nescio qua insita vi, attrahat ferrum, sol humores, et similia. Contrarium tenet Physici Recentiores. Putant siquidem isti, atque pro aris, et focis contendunt, attractionem hujusmodi antiquorum, purum esse, putidumque commentum. De facto; ajunt, nullum corpus agere potest ubi omnino non est. Jamvero corpus adtrahens, per ipsos quoque Peripateticos, non est, ubi reperitur attractibile. Ergo nequit ibi operari. Ergo nequit per puram vim, nescio quam, insitam, absentia corpora attrahere. Experimentis quoque invenerunt recentes Philosophi, quod multa phænomena, quæ ab antiquitate ad solis attrahentis actionem attribuebantur, fiunt revera ab aeris præsertim compressione, atque aliis, nondum totaliter cognitis, caussis.

Scholion II.

Quoties igitur *attractionem* nominabimus; id tantum intelligemus, quo corpus (vel alia quævis materiæ pars) ad aliud accedit. Sive autem id per veram attractionem, sive per impulsum, vel per aliquod aliud fiat, nihil, in rerum præsentia, determinamus.

Def. VI. Gravitas est proprietas quædam, sive potentia, vel vis, qua fit, ut corpus perpendicu-

laris

lariter tendat ad aliquod determinatum centrum: ſit vis illa, seu potentia, quæ fit, ut corpora, quæ in sphæra activitatis orbis terraquei perpendiculariter tendunt ad ejusdem orbis terraquei centrum, gravitas adpellatur.

SCHOLION.

Differt ergo gravitas ab attractione. Gravitas namque facit, ut corpora perpendiculariter tendant ad aliquod determinatum centrum. Attractio autem facit, ut unum corpus ad aliud accedat, sive vi centripeta id fiat, sive vi centrifuga. Hinc gravitas est species attractionis, et non econtra.

Def. VII. Vis centripeta est illa corporum proprietas, seu potentia, qua omnia corpora tendunt perpendiculariter ad proprium centrum: vis vero centrifuga est illa, qua corpus, quod circa aliquod centrum revolvitur, conatur ab eodem recedere.

Def. VIII. Antitypum dicimus, quod est impenetrabile. Antitypiam vocamus impenetrabilitatem.

Def. IX. Activum dicimus omne id, quod motionem, vel actionem alteri communicat.

Def. X. Activitas est potentia operandi, vel facultas activa.

PHI-

Philosophorum Sententiæ.

§. I. Nullum esse ordinem in hoc adspectabili universo, dixerunt Fatalistæ omnes; præsertim vero Epicuristæ, et Pantheistæ.

§. II. Hinc, per istos quoque, præcipuarum legum Cosmologicarum negatur exsistentia. Nam omnia casu fieri adserunt.

§. III. Isti etiam omnes negant, primam rationem sufficientem ordinis Universi esse in legibus cosmologicis. Siquidem per eos, omnium effectuum ratio sufficiens est in puro casu.

§. IV. Ultimam rationem sufficientem ordinis hujusce Universi non esse in Deo O. M. voluerunt tum Athei omnes, tum illi, qui mundum non fuisse a Deo productum, dixerunt, quos jam in prima parte refutavimus.

§. V. Tandem oppositum istorum nos, cum sanioribus Philosophis tenemus; quodque ita revera sit, sequentia demonstrabunt. Sit interim

Axioma. Nemo dare potest, quod non habet.

D. Si enim daret, id, quod daret, haberet rationem sufficientem vel in nihilo, vel in alio. Primum pugnat (def. *6*. c. 1. p. 1.): alterum est contra hypothesim.

Propositiones.

Prop. I. *Nequit dari ordo, sine sapiente aliquo Ordinatore*.

D. Nam ordo est plurium entium etc. (vide def. 1. huj.). Jamvero talis connexa series haberi

beri nequit sine sapiente aliquo Ordinatore. Nam entia, quæ ad talem ordinem constituendum concurrerent, vel essent ratione prædita, vel non. Si primum, jam in tali ordine essent sapientes ordinatores: si secundum, jam ordo fieret ab entibus sine ratione, idest a casu. Sed a casu ordo provenire nullimode potest. Nam in casu nulla est ratio, cur potius illa entia sint ordinata, quam non. Item illa entia, ut ordinem constituant, debent omnia ita inter se poni, ut correspondeant, tendantque omnes ad hunc potius, quam ad alium finem. Ergo debent inter se componi illo tantum modo, quo ad talem finem correspondeant. Hoc autem fieri nequit sine aliquo cognoscente, et prævidente media, et finem. Ergo etc.

II. Nemo dare potest, quod non habet (ax. huj. cap.). Ergo nihil ordinari potest ab illo, qui non habet potentiam ordinatricem, idest sapientiam. Ergo ordo nequit provenire ab eo, qui sapientiam, atque potentiam ordinatricem non habet. Ergo nequit dari ordo.

Prop. II. *Nequit dari ordo sine aliquibus legibus, juxta quas talis ordo consistat.*

D. Nequit enim dari ordo, nisi detur aliquorum entium series ita connexorum inter se, ut antecedens spectet consequens, et omnia ad aliquem tendant communem finem. Ergo disponi debent eo tantum modo, quo ad talem finem consequendum omnino correspondeant. Jamvero id fieri nequit, sine aliquibus legibus. Si enim

 sine

sine legibus fieri id posset, jam entia illa, sine ulla connexione tenderent ad propositum aliquem finem. Quod est absurdum. Siquidem ad assequendum talem propositum finem, potius hoc, quam alio modo entia illa disponi debent. Ergo si modo diverso disponerentur ab eo, qui ad talem finem consequendum necessarius est, non consequeretur propositum finem. Ergo si ordo sine legibus dari posset, jam ordo esset simul, et non: esset ut supponeretur: non esset autem, quia entia ordinem componentia non tenderent ad propositum finem. Jamvero hoc absurdum (ax. 1. c. 1.). Ergo ne hoc admittatur, dicendum, quod etc. (3).

Prop. III. *Quamdiu, in aliquibus entibus ordinatis, eædem leges consistent, tamdiu idem servabitur ordo.*

D. Nam nequit dari ordo sine aliquibus legibus, juxta quas talis ordo consistat (p. ant.). Ergo quilibet ordo suas habet proprias leges, juxta quas consistit. Ergo quamdiu eædem persistent leges, tamdiu idem consistat ordo, necesse est. Nam omnis ordo suas proprias habet leges. Ergo ne-

---

(3) Hinc egregie Tullius (3. *de legibus*): „ Nihil „ eſt tam aptum ad jus, conditionemque naturæ, quam „ LEX, ſine qua, nec domus ulla, nec civitas, nec gens. „ nec hominum univerſum genus ſtare, NEC RERUM „ NATURA OMNIS, NEC IPSE MUNDUS POTEST „ Quoniam autem omnes leges proprium aliquem legislatorem habent, qui earum legum eſt auctor; ſequitur apertiſſime, aliquem eſſe legum coſmologicarum (quibus regitur mundus) Auctorem, Conſervatorem, & Rectorem. Ex quo magis, magiſque patet, *Deum exstare*.

nequit mutari talis ordo, quin mutentur tales leges. Ergo quamdiu non mutabuntur leges, tamdiu talis ordo, qui juxta tales leges consistit, non mutabitur. Ergo...

Coroll. I. Ergo quamdiu leges non mutabuntur, nec ordo mutabitur, qui juxta tales leges procedit.

Coroll. II. Ut ordo sit semper idem, eædem semper sint leges, necesse est.

Prop. IV. *Omnis ordo habet immediatam rationem sufficientem sui in legibus, juxta quas procedit.*

D. Etenim nequit dari ordo, sine aliquibus legibus, juxta quas talis ordo consistat (p. 2. huj.). Ergo quilibet ordo suas proprias habeat leges, necesse est. Aliter enim eædem leges componerent ordines diversos, quod fieri nequit (p. ant.). Ergo quilibet ordo est talis potius, quam alius ordo, quia talibus potius, quam aliis regitur legibus. Ergo illis, quibus regitur, legibus, fit, ut sit ordo potius, quam non ordo, et ut talis potius, quam alius. Ergo quilibet ordo immediatam rationem sufficientem sui, habet in illis, quibus regitur, legibus.

Prop. V. *Omnis ordo rationem sufficientem sui habet in ordinante, sive in leges statuente, et conservante.*

D. I. In eo siquidem est ratio sufficiens ultima cujuscumque ordinis, in quo est ratio sufficiens constitutionis, et conservationis legum ipsius. Jamvero ratio sufficiens constitutionis, atque conservationis legum cujuscumque ordinis est in ordinante legescujus libet ordinis. Ergo ultima ra-

 tio

tio sufficiens cujuscumque ordinis est in ordinante leges ordinis cujuscumque. Ergo etc.

II. Exstat quilibet ordo, et est talis potius, quam alius, quia exstant, et tales potius, quam aliæ sunt leges, secundum quas procedit quilibet ordo. Jamvero leges ideo exstant, et tales sunt potius, quam aliæ, quia hujusmodi esse vult, qui constituit, et conservat eas. Ergo in eo, qui tales constituit, et conservat leges, est ultima ratio, sufficiens cujuscumque ordinis. Ergo etc.

Prop. VI. *In mundo hoc adspectabili regnat ordo.*

D. I. Nam omne agens agit propter finem. Ergo agens rationale agit propter finem rationalem: Agens vero sapiens propter finem sapientem: Agens sapientissimum propter finem sapientissimum. Jamvero Deus, qui mundum creavit (p. 5. c. 7. 1. p.) adspectabilem, est agens sapientissimum. Ergo Deus, creando hunc mundum, creavit ob aliquem finem sapientissimum. Ergo mundus hic adspectabilis tendit ad propositum finem, Dei, sapientissimum. Sed tendere ad finem non posset, nisi omnia in ipso ordinata procederent. Ergo omnia, in hoc mundo, ordinate procedant, necesse est. Quare...

II. Mundus hic adspectabilis est opus Dei O.M. nam ab ipso creatus est (p. 5. c. 7. 1. p.). Quare, si in ipso non regnat ordo, vel id est, quia Deus non potest, vel quia non vult, ut ordo regnet in eo. Primum autem est absurdum adserere. Nam I. Mundus est opus Dei. Ergo pendet a Deo. Ergo subjectus est Deo. Ergo potest Deus illum, quomodo vult, ordinare. II. Deus

Deus est ens a se (p. 1. c. 5. par. 1.). Ergo est perfectiſsimus (p. 12. c. 2. p. 1.). Quare est potentiſsimus. Si ergo non posset mundum ordinare, non esset potentiſsimus. Quod est absurdum (pp. citt.). Adserere Deum nolle, ut mundus ordinate procedat, idem est, ac dicere, Deum voluiſse aliquando sine sapientia operari, idest imperfecte, et absque ullo præposito fine. Jamvero id pugnat dici de Deo. Nam absurdum est imperfectionem admittere in Deo. Ergo Deus voluit, mundum ordinate procedere. Quum ergo demonstratum sit id etiam posse; sequitur etc.

SCHOLION.

Ceterum esse ordinem in hoc universo tam clarum, atque manifestum est, ut demonstrari non poſsit propter nimiam claritatem. Nam quis ignorat, partes ejus semper æqualiter ordinate procedere? Semper cursum suum ordinate conficit Sol, Luna, Planetæ. Et nisi aliud universi ordo manifestaret; id solum hoc manifestat, nempe, licet mundi partes invicem inter sese collidantur, licet perenniter agant, semper tamen eumdem servant ordinem, vim, activitatem, cetera. Tandem ex sequentibus clarius apparebit.

Prop. VII. *Exstant in mundo hoc adspectabili leges universales, juxta quas ordinate procedit.*

D. Nam in mundo hoc adspectabili exstat ordo (p. ant.). Jamvero nequit dari ordo, sine legibus, juxta quas talis ordo consistat (p. 2. huj.). Ergo si exstat ordo, exstare debent et leges, ju-

xta qúas ordinate procedat. Ergo revera (*).

S C H O L I O N.

Et hæc sufficiat demonstratiuncula. Restat nunc ut aliquas legum istarum, quibus mundus ordinate procedit, adsignemus; ex quarum porro necessitate, et exsistentia, patebit magis magisque, et esse in mundo ordinem, et exstare de facto leges, juxta quas ipse mundi ordo procedit. Sit ergo

Prop. VIII. *Prima lex Cosmologica est, quod ex nihilo nihil fit natura sua.*

D. Illa quippe est lex Cosmologica, qua fit, ne mundus sit Chaos (Def. 2. huj.). Sed hac lege, nempe *ex nihilo, nihil natura sua fit*, conficitur, ne mundus sit Chaos. Nam si ex nihilo aliquid, natura sua, fieret, jam semper aliæ partes hic, illicque enascerentur in hoc universo; adeoque ibi pariter ponerentur, et nascerentur, ubi necessariæ non essent. Atqui sic mundus abiret in Chaos. Ergo ne abeat, necesse est, ut ex nihilo nihil natura sua fiat. Ergo...

Prop. IX. *Secunda lex Cosmologica est, quod nihil natura sua revertitur in nihilum.*

D.

(*) De *legibus cosmologicis* aperte fit méntio in Scripturis Sanctis. Jeremiæ enim cap. 31. hæc habentur: *Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis.... Si defecerint LEGES istæ coram me, dicit Dominus: tunc & semen Israel deficiet*. Vide, in hæc verba, Sacros Expositores.

D. Nam si aliquid exsistens, natura sua in nihilum abire posset; jam aliquæ mundi hujus principales partes in nihilum abire possent, adeoque perirent; atque in nihilum converterentur aliquæ mundi hujus speciales partes, quæ ad ordinem conservandum pernecessariæ sunt. Jamvero, hoc posito, periret universi ordo, et in Chaos abiret. Ergo, ne in chaos abeat, nihil natura sua in nihilum convertatur, oportet. Ergo ad ordinem mundi conservandum, necesse est, ut nihil natura sua, in nihilum convertatur. Quare...

Prop. X. *Tertia lex Cosmologica est, quod substantiæ mundanam extensionem componentes, sunt antitypæ, seu impenetrabiles.*

D. Et certe, si substantiæ, mundanam extensionem componentes, non essent antitypæ, in omni, quamvis minima, collisione, ita compenetrarentur, ut quantum loci una occupabat prius, occuparent, post compenetrationem, duæ, tres, quatuor, vel omnes mundanæ substantiæ; adeoque universitatis extensio evanesceret. Jamvero, ablata extensione ab hoc universo, aufertur ordo. Ergo, ne pereat ordo, oportet, ut universus mundus extensus sit. Atqui hoc fieri nequit, nisi substantiæ, mundanam extensionem componentes, sint antitypæ; ergo, ut ordo conservetur universi, necesse est, ut substantiæ, mundanam extensionem componentes, sint antitypæ. Quare...

Scholion.

Posset hic, ab aliquibus, objici, quod substantiæ, mundanam extensionem componentes, possent ita consistere, ut vix contingerentur ad invicem, sicque non necesse esset, istas esse impenetrabiles. Verum primo, id purum est suppositum hypotheticum. Secundo contrarium est experientiæ. Tertio, auferretur a mundo communicatio motus, quæ maxima est lex, quæ mundum ordinatum, et pulcherrimum reddit. Quarto, omnes mundanæ substantiæ activæ non essent, quod experientiæ contrarium esse, sua unicuique loquitur propria observatio.

Prop. XI. *Quarta lex Cosmologica est, quod substantiæ primæ mundanæ materiæ, seu prima principia* (idem enim hic sonant) *vel prima materiæ elementa, in centra quædam conjuncta, prout opus est, perenni quadam, atque forti attractione uniuntur, atque amplexantur.*

D. Nam si substantiæ primæ, mundanæ materiæ, ita non essent; jam omnes istæ substantiæ non componerent partes, seu globos quosdam solidos, et inter sese spatiis, competentibus, divisos; adeoque mundus totus, aliud non esset, nisi compositum quoddam infinitarum substantiarum minimarum, a se invicem separatarum, instar pulveris, seu farinæ. Jamvero ita si esset mundus, in ipso regnaret teterrimum Chaos. Ergo ne Chaos regnet, necesse est, ut primæ, mundanæ materiæ, substantiæ, ad puncta quædam seu com-

competentia, et convenientia *centra*, sese invicem continua attractione conjungantur. Ergo...

SCHOLION.

Et re quidem vera, hac lege ablata, mundus hic adspectabilis Chaos evaderet Epicurearum atomorum; quod fuisse ante formationem mundi hujus, contendit Epicurus (4).

Prop. XII. *Quinta lex Cosmologica est, quod partes mundi, quæ circa aliquod centrum revolvuntur, ducuntur duabus viribus, nempe centripeta, qua versus centrum (circa quod revolvuntur) ducuntur, et centrifuga, qua ab eodem centro abducuntur, motu rectilineo.*

D. Si dictæ mundi partes duabus illis viribus non ducerentur, vel nulla vi ducerentur, vel una tantum prædictarum. Non primum: nam in tali casu immobiles permanerent. Non secundum. Nam si ducerentur sola vi centripeta, unam tantum lineam versus centrum describerent: si sola vi centrifuga unam item rectam centro parallelam describerent. Jamvero in utroque casu destrueretur ordo universi. Ergo ne destruatur, dicendum, quod etc.

Prop. XIII. *Sexta lex Cosmologica est, quod activitas mundanarum substantiarum sit inadnihilabilis, et indefectibilis.*

D. Nam si primarum mundanarum substantiarum

(4) Legatur c. 3. i. partis hujus operis.

rum activitas, seu vis, decursu temporis, gradatim debilitaretur, primo quædam dissolutio compositorum eveniret; deinde generalis defectio vivacitas, motus, verbo totius ordinis destructio. Ergo, ne cesset ordo, necesse est, ut activitas mundanarum substantiarum sit inadnihilabilis, atque indefectibilis. Ergo...

S c h o l i o n.

Et revera, quanta non sequerentur absurda, si hanc legem in hoc universo non esse, adsereretur? I. Enim sequeretur, mundum conservari, et non conservari. Conservari, ut supponeretur; non conservari autem, quia substantiarum primarum activitas gradatim periret. II. Sequeretur, mundum esse ordinatum simul, et non ordinatum. Ordinatum, ut supponeretur, atque de facto videtur, et est (p. 6. huj.): non esset autem, quia deficerent vires, adeoque deficeret ordo, qui ab illis pendet, ut in hac prop. demonstratione vidimus. Ex quibus sequeretur esse simul mundum constantem, et inconstantem. Quæ omnia quum pugnantia omnino sint, dicendum revera, vires substantiarum mundanarum inadnihilabiles, et indefectibiles esse. Quapropter...

Coroll. I. Quum vitas aliquas perire in hoc mundo videmus, non primarum substantiarum activitatem perire, debemus putare, sed phænomena quædam tantum, seu aliquos activitatis earum substantiarum effectus.

Coroll. II. Quum ex humido aliquo corpore, m:-

mediante sole, vel igne, vel aliquo alio, humiditas, seu fluidum illud evanescere omnino videtur, nullimode putandum, substantias illas humidas, vel earum vim et activitatem adnihilatam esse, sed tantum per vim, a corpore humido, ablatam fuisse.

Coroll. III. Omnis primarum substantiarum vita, in hoc universo, omnis substantia prima, quantumvis agitetur, nunquam tamen adnihilatur.

Coroll. IV. Quare nihil in hoc mundo adnihilatur. Ergo...

Coroll. V. Omnes primæ mundanæ substantiæ, et earum activitas, tamdiu durabit, quamdiu mundus ipse in hoc ordine perseverabit. Loquor hic de materia mundana, non de animabus.

Prop. XIV. *Septima lex Cosmologica est, quod partes universi non sunt omnes ejusdem qualitatis.*

D. Si omnes universi partes ejusdem essent qualitatis, jam universus mundus uno tantum aspectu resplenderet, atque oculis videntium appareret. Jamvero, hoc posito, auferretur illa admirabilis pulchritudo, quæ in diversarum rerum qualitatum ordinatione, ut cuique patet, consistit. Ergo ne pulchritudo ab universo tollatur, necesse est, ut partes omnes universi non sint ejusdem qualitatis. Quapropter...

Prop. XV. *Octava lex Cosmologica est, quod partes, quæ universum componunt, non sunt omnes solidæ, vel fluidæ.*

D. Si partes universi omnes solidæ essent sive duræ, jam nullimode essent magni isti globi, et si essent, non possent intra materiam mundanam mo-

moveri, quia in tali hypothesi nihil cederet. Si autem essent omnes fluidæ, tota mundana materia ejusdem esset qualitatis. Jamvero, istis positis, ordo et pulchritudo universi periret. Ergo ne pereat, oportet, ut universi partes neque omnes fluidæ sint, neque omnes duræ. Ergo ...

Scholion.

Ex hac porro lege, plurimæ aliæ leges Cosmologicæ deduci possunt, et eadem ferme ratione firmantur. Sequitur namque I. Quod partes, universum componentes, non sunt omnes calidæ, seu igneæ. II. Non sunt omnes frigidæ. III. Quod non sunt omnes opacæ, seu lumine orbatæ. IV. Non sunt omnes unius coloris. Si namque omnes igneæ essent, vel frigidæ, vel etc., essent ejusdem qualitatis. Jamvero esse nequeunt ejusdem qualitatis (p. 14. huj.). Ergo non sunt omnes calidæ, neque omnes frigidæ etc.

Prop. XVI. *Nona lex Cosmologica est, quod partes universum componentes non sunt omnes lucidæ.*

D. Nam si partes, universum componentes, omnes lucidæ essent, jam essent ejusdem qualitatis; atqui ejusdem qualitatis non sunt (pr. ant.). Ergo ...

Prop. XVII. *Decima lex Cosmologica est, quod substantiæ primæ mundi hujus adspectabilis sunt activæ.*

D. Si etenim activæ non essent, nec activæ essent mundi partes, quæ ex istis componuntur. Jamvero, hoc posito, sequeretur, quod non essent

sent sympaticæ, attractivæ, etc. quod universi ordinem dissolvit. Ergo, ne dissolvatur, necesse est, ut substantiæ illæ primæ universi sint activæ. Ergo...

II. Item, omne, quod est in universo, semper aliquem producit effectum. Sed si non esset activum, nullum posset effectum producere, quod universi ordinem pariter dissolvit; ergo, ne universi ordo solvatur, necesse est, ut primæ, mundanæ materiæ, substantiæ, activæ sint. Ergo.

Prop. XVIII. *Undecima lex Cosmologica est, quod substantiæ mundanæ communicant sibi ad invicem motum.*

D. Nam si non communicarent sibi ad invicem, motus, juxta certas leges mechanicas, vel essent inter sese invicem disjunctæ, itaut nulla pars aliquid alteri actionis communicaret, vel invicem inter sese opponentes, exstaticæ remanerent. Jamvero, in utroque casu, periret universi ordo. Ergo, ne pereat, necesse est, ut, substantiæ mundanæ, motum ad invicem sibi communicarent. Quare (*).

Prop. XIX. *Duodecima lex Cosmologica est, quod natura non adhibet in suis operibus, nisi quantum sufficit virium.*

D. Si adhiberet plus, jam effectus superfluos, adeoque extra debitum ordinem, produceret; si mi-

(*) *Deus ipse*, ait Triſmegiſtus in Pimandro, *in Cœlum quidem serit immortalitatem, in Terram vero mutationem, in totum denique mundum VITAM ac MOTUM.*

minus ; ergo non produceret effectus ad debitum ordinem universi necessarios. Jamvero in utroque casu periret universi ordo ; ergo, ne pereat, necesse est, ut natura, in suis producendis effectibus, non adhibeat, nisi quantum sufficit virium. Quapropter.

Scholium I.

Et hæ sunt præcipuæ leges, quibus regitur, et ordinatus est mundus materialis. Verum, quum leges Cosmologicæ sint illæ, quibus mundus regitur, quibusque ablatis, mundus in Chaos abeat, necesse sit; sequitur apertissime, omne id, quod ad mundi ordinem conservandum concurrit, pro lege Cosmologica haberi debere.

Scholium II.

Præcipuæ, pro hominibus, leges morales *naturales*, ad has redigi poterunt: I. Cognoscant Auctorem exsistentiæ suæ: grates debitas continuo ei rependant: eum diligant, ament, venerentur. II. Quod quisque homo sibi fieri non vult, aliis non faciat. III. Unusquisque aliis faciat, quod ipse sibi fieri ab aliis vult. IV. Ea ab homine fiant, quæ, ex natura rei, necessaria sunt ad vivendum decenter, et conformiter naturæ suæ rationali; et ea omittantur, quæ rationalem naturam dedecent. Hæc ultima, supradictas, et alias omnes leges, comprehendit. Ast nos de mundo hic, non de ho-

homine agimus. Quare de Ethicos, et Theologos mittimus juniores.

Coroll. Ex istis omnibus sequitur, mundum hunc adspectabilem non esse, nisi compositum quoddam ordinatum substantiarum activarum, viventium, secundum genus, modum, et gradum suum; et cum quibusdam insitis, atque immutabilibus (*) legibus.

Prop.

(*) Vide adnotationem 3. ad præſatiunculam juniorib. Philoſ. ant. prim. par. huj. noſtri operis. Speciatim, quoad leges morales, *an* ſcilicet *mutari possint* (loquimur hic de legibus morum *naturalibus* tantum) legatur Antoinius *Theolog. Morali*, *tractatu de legibus sect. 2. quæst. 4. & 5.*; & P. Bonaventura Staidel *Dissert. proœm. ad cit. opus num.* 315. ubi auctores citantur, qui de præſenti noſtra quæſtione agunt. Adnectere hic liceat, cum Berchorio (*Diction. moral. v.* lex) præter leges morales *bonas*, eſſe etiam leges (naturæ tamen corruptæ) *malas*. Præcipuæ ſunt I. Homo, natura ſua corrupta, ad *malum* tendit, atque in *vetitum* fertur. II. Qui alicui vitio conſueſcit, hac ſua prava conſuetione, novæ malæ legi ſe dementer illigat, qua ad ipſum vitium, properis greſſibus, tendat. III. *Lex carnalitatis*, eſtque *concupiscentia*. IV. *Lex iniquitatis*, eſtque cupiditas acquirendi injuſte. *Vide Apostolum* 1. *Tim.* 6. V. *Lex superbiæ*, *& ambitionis.* Contra iſtas omnes leges ſemper homines dimicare deberent, ſi *veras* morum naturales *leges* cuſtodire optarent. Meminiſſe deberent illud ejuſdem Berchorii (ibidem v. *Natura*): „ Sicut videmus, quod vulpes ſolet „ naturaliter claudicare, porcus ſolet ſe in luto naturaliter „ lavare, leo ſolet beſtias innocentes naturaliter devorare, „ aranea ſolet ad muſcas capiendas naturaliter intendere, & „ necare; ſic vere nos a natura corrupta habemus vulpinam „ doloſitatem, porcinam impuritatem, leoninam voracitatem, „ araneæ cupiditatem „. Aſt nos, qui eramus aliquando *tenebræ*; & nunc ſumus LUX IN DOMINO; ut filii lucis

am-

Prop. XX. *Ratio sufficiens legum Cosmologicarum est in Deo*.

D. In eo est ratio sufficiens legum Cosmologicarum, in quo est ratio sufficiens creationis mundi. Atqui ratio sufficiens creationis mundi est in Deo, Nam ipse est causa effectrix mundi hujus (p. 5. c. 6. p. 1.). Ergo ratio sufficiens etc, (5).

SCHOLION.

Dubium nunc venit, sponte veluti sua, ex dictis, an scilicet *activitas*, quam mundi hujus partes habent, sit ipsismet insita? Videamus. Sit igitur

CA-

---

ambulemus. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate: probantes quid ſit beneplacitum Deo. Et nolimus communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguamus. *Vide Apostolum Ephes.* 5. Recordemur illud ejuſdem Apoſtoli (*Gal. 6.*): *Nolite errare. Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam ... Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos Fidei.*

(5) Ex hac propoſitione patet, Deum eſſe optimum, ſapientiſſimumque rectorem hujuſce adſpectabilis mundi. Hinc quidam recte cecinit (apud Polyanth. noviſs. v. *Voluntas*):

Principium mundi Deus eſt, quo cuncta moventur:
Et quæ permittit, vel jubet, auctor agit.
Hinc mutabilium rerum immutabilis ordo,
Æternis ſervit legibus Artificis.

CAPUT II.

In quo demonstratur I. Corpora esse suorum effectuum causas efficientes. II. Mentes humanas item esse suorum effectuum causas efficientes. III. Causas secundas esse vere, et proprie suorum effectuum causas efficientes. IV. Creaturas non esse solum causas occasionales suorum effectuum. V. Vim agendi esse creaturis insitam.

Definitiones.

Def. I. Occasio, in rerum præsentia, est positio alicujus rei in aliquo loco, vel circumstantia, ubi ita posita aliquis producatur effectus: sic posita stuppa arida, ex. gr. prope ignem, sequitur ipsam combustum iri; quia igitur ex positione stuppæ ad ignem, sequitur effectus combustionis, positio illa stuppæ ad ignem *occasio* vocatur combustionis sequentis.

Scholion.

Hinc facile colligitur, quod, qui stuppam, ex. gr. ad ignem admovit, *causa occasionis* dicetur. Hinc pariter constat effectum combustionis produci a duabus causis (in hyp. quod causæ secundæ sint efficientes, quod nunc demonstrabimus) *occasionali* scilicet, et *efficienti*. Illa ponit stuppam igni: ista vero comburit. Hoc idem servatis ser-

vandis, ad moralia applicari potest, ad faciliter videndum, quis, et quando peccet in occasione.

Def. II. Causam occasionalem vocamus illam, quæ occasionem tantum ponit ad alicujus effectus productionem, non vero ipsum effectum immediate, et proprie producit. Sic ille, qui stuppam ad ignem admovit, dicitur causa occasionalis combustionis sequentis.

Philosophorum Opiniones.

§. I. Nullum corporum esse activum contendunt Cartistæ; sed tantum occasionem suorum effectuum: causam vero veram et propriam esse Deum ipsum immediate. Sic ignis non comburit, actione sua, stuppam, per Cartesianos; sed Deus immediate; ignis vero est tantum causa occasionalis. Sic ego jactans lapidem, non ego ipsi lapidi motum communico, sed Deus immediate: ego non sum, per ipsos Cartistas, nisi causa occasionalis.

§. II. Idem sentit P. Malebranchius, et quidem quoad omnia, nempe quoad substantias liberas, et spirituales (creatas nempe), et quoad corporeas. Tamen liberis causis nomen *efficientis causæ* tantum denegat; non vero nomen *causæ activæ*. Sed activas dicit causas liberas, quatenus *velleitate, voto, desiderio*, sive *inclinatione* agere possunt; non autem aliquem producere effectum, extra se, posse, affirmat. Sic mens humana volens producere actum, ex. gr., amoris erga Antonium, Deus effective actum illum producere potest; ani-

nimam vero tantum ajunt, velleitate efficere. Sic volens sibi producere ideam, ex. gr., *solis*, desiderio, vel inclinatione tantum animæ positis, Deus *solis* ideam effective producit in ipsa. Ex quibus patet, etiam creaturas spirituales, et liberas esse, in sententia Malebranchii, causas occasionales tantum, seu morales suorum effectuum, non vero causas efficientes. Idem sentiunt plerique Cartesianorum. Idem auctor libri *de actione Dei sup. Creaturas*.

§. III. Verum oppositum omnino tenent alii Philosophi, in quorum sententia nedum animas seu substantias spirituales, et liberas esse activas contenditur, atque suorum effectuum causas efficientes, sed etiam corpora omnia. Idem itaque sentimus et nos; et quod ita revera sentiendum sit ab omni sanæ mentis Philosopho, ostendent manifeste sequentes

Propositiones.

Prop. I. *Si Deus solus esset causa efficiens effectuum creaturarum, Deus a mundo non esset diversus, atque distinctus.*

D. Si Deus namque solus esset causa efficiens effectuum creaturarum, creaturæ nihil agerent, nullamque haberent vim operandi. Jamvero, quod vim nullam, seu nullam potentiam habet operandi, nec proprietates ullas habet essentiales; quod vero proprietates essentiales non habet, nihil est. Ergo si creaturæ nihil agerent, nihil essent. Sed hoc posito Deus ab ipso mundo es-

set indistinctus. Nam, hoc posito, quidquid agit, est Deus. Jamvero mundus agit, ut notum est. Ergo est Deus. Mundus igitur, et Deus unum idemque sunt in hypothesi, quod solus Deus esset causa efficiens effectuum creaturarum. Quare si Deus....

II. Quidquid agit, in tali hypothesi, est Deus. Jamvero nos agimus, et mundus agit. Ergo nos, mundus, et Deus idem sumus. Sed hoc posito, sequitur, Deum esse indistinctum a mundo. Ergo....

Prop. II. *Præter Deum, exstant aliæ causæ efficientes.*

D. Nam si, præter Deum, non essent aliæ causæ efficientes, jam Deus solus esset causa effectuum creaturarum (patet). Jamvero, hoc posito, Deus non esset a mundo diversus (prop. ant.). Hoc autem absurdum. Nam absurdum est dicere mundum esse ens a se (p. 5. c. 4. part. 1.). Ergo, ne hoc absurdum dicatur, dicendum, Deum esse diversum a mundo. Si igitur mundus agit (licet dependenter ab ipso Deo, ut infra videbimus) jam est præter Deum, mundus, qui est propriorum effectuum causa efficiens. Sed in mundo multæ, et diversæ sunt ejus partes, quæ effectus producunt, unaquæque juxta genus suum. Ergo multæ, et diversæ sunt causæ efficientes in mundo. Quare....

Prop. III. *Corpora, in hoc universo, sunt causæ efficientes suorum effectuum, quos producunt.*

D. Nam si corpora non essent suorum effectuum causæ efficientes, quum omnia, quæ corpora

pora producunt, et efficiunt, pendeant ab impenetrabilitate, vi attractiva, extensione, mobilitate, et ceteris aliis ejusmodi viribus; sequeretur apertissime, corpora nullam habere posse vim activam, adeoque nullam proprietatem; sicque omne corpus non esset impenetrabile, nec extensum, nec partes ejus vi donarentur activa. Jamvero his omnibus admissis, corpus non amplius esset corpus, quia nullam haberet per se, seu in se corporis proprietatem, ergo in hypothesi caussarum occasionalium corpora essent, et non essent corpora. Essent quidem, quia talia a nobis supponuntur, et sunt; non essent autem, quia non haberent corporum proprietates, et naturas; sed hoc est absurdum. Nam absurdum est idem simul esse et non esse (ax. 1. c. 1. p. 1.). Ergo ne hoc admittatur absurdum, dicendum, corpora proprietates habere essentiales, et corporeas. Hoc autem posito, sequitur, corpora esse causas efficientes effectuum suorum. Nam mediantibus his essentialibus proprietatibus fiunt actiones corporum, ut cuique patet. Ergo revera corpora in hoc universo etc.

Scholion.

Apertissimum, et indubitatum est, corpora omnia agere illis proprietatibus, quibus gaudent. Nam ideo corpus A, ex. gr., impingens ego in corpus C, movet corpus B, quia utrumque impenetrabile. Si enim unum eorum impenetrabile non esset, jam vix unum ab altero tangeretur,

 com-

compenetrarentur ad invicem, et amplius non essent corpora naturalia. Ergo quum admittatur, corpora habere proprietates proprias essentiales, admitti omnino etiam debet, illa esse causas efficientes effectuum suorum. Sed propositio hæc magis patet ex legibus cosmologicis supra (c.ant.) expositis.

Prop. IV. *Mentes humanæ sunt suorum effectuum causæ efficientes.*

D. Desiderium, velleitas, inclinatio circa aliquod objectum, sunt vere, et proprie actiones. Ergo si substantiæ spirituales, idest mentes humanæ, producunt effective desideria, velleitatem, inclinationes erga aliquod objectum; producunt vere, et proprie, atque efficienter aliquas actiones. Jamvero ipsomet fatente Malebranchio, mentes humanæ producunt volitiones, desideria etc. (§. 2. huj.). Ergo efficienter producunt aliquas actiones. Ergo....

II. Mentes humanæ sunt liberæ. Ergo possunt agere, et non agere; ergo possunt, et non possunt aliquem producere effectum pro libito, et quidem per se (licet simul cum Dei concursu simultaneo); alias enim Deus esset auctor peccati. Si igitur possunt aliquem producere effectum, sunt veræ causæ efficientes. Ergo...

Prop. V. *Creaturæ, seu causæ secundæ sunt vere et proprie suorum effectuum causæ efficientes.*

D. I. Nam causæ secundæ vel corporeæ sunt, vel spirituales; corporeæ sunt corpora universi, spirituales sunt mentes humanæ (non enim hic loquimur, nisi de istis tantum substantiis). Jamvero

vero corpora, et mentes humanæ sunt vere, et proprie causæ efficientes (p. 3. et 4. huj. cap.). Ergo....

II. Si causæ secundæ non essent vere, et proprie causæ efficientes suorum effectuum, sed occasionales tantum, jam I. Omnes æqualiter Philosophi essemus. Nam, in tali casu, Deus esset sola, et immediata causa efficiens omnium effectuum creaturarum; ergo una hac sola cognitione unusquisque, etiam puerulus, esset maximus Philosophus. II. Qui sciret hoc solum, nempe, *Deum solum esse immediatam, et propriam efficientem causam omnium creaturarum effectuum*, jam phanaticus esset, si quæreret amplius causas immediatas aliquorum effectuum. Sed omnes Philosophi, ne ipsis quidem exceptis Cartistis, faciliter scire possent, Deum esse caussam immediatam, et efficientem omnium causarum secundarum effectuum; ergo posita Cartesianorum hypothesi, omnes, ne quidem ipsis exceptis Cartesianis, phanatici essent, quia scirent omnium effectuum causas efficientes, et eas quærerent. III. Non possumus cognoscere naturas diversas rerum. Nam si mens cogitat, quia Deus producit in ea cogitationem, et corpora, ignis, ex. c., calefacit, quia Deus ad ignis præsentiam calorem inducit, jam nesciremus, an ignis natura sit eadem, ac natura animæ; item an sint in hoc universo naturæ diversæ; quod est absurdum; aliam namque scimus esse naturam magnetis, ac illam ignis; et similia de aliis. Jamvero hæc omnia experientiæ contraria sunt. Ergo non admittenda

est illa hypothesis, ex qua talia sequuntur; Ita est hypothesis causarum occasionalium. Ergo.... Adeoque....

OBJECTIO I.

Creaturæ non possunt recipere a Deo vim effectricem, qua alia agere possint. Ergo etc. Prob. ant. Quod est proprium solius Dei, nequeunt recipere creaturæ ab ipso Deo. Atqui virtus effective agendi est propria solius Dei. Ergo. Adeoque....

Resp. Conc. maj. dist. min. Vis effective agendi independenter ab alio, c. dependenter ab alio, n. min., et conseq. Itaque creaturæ non possunt a Deo recipere quod est solius Dei proprium. Nam omne, quod est in Deo, est infinitum, quum non differat ab ejusdem Dei natura. Jamvero Deus non potest aliquod attributum infinitum creaturis communicare (p. 1. c. 9. par. 1.). Ergo nequeunt creaturæ a Deo recipere quod est proprium solius Dei. Posse autem habere virtutem effective agendi independenter ab alio, non est proprium, nisi solius Dei. Nam ille tantum habet vim effective agendi independenter, qui independenter exsistit, et conservatur. Atqui solus Deus independenter exsistit, et conservatur; alias enim plura essent entia a se, quod pugnat (p. 1. c. 2. par. 1.). Ergo vis effective agendi independenter est proprium solius Dei. Sed agere effective quidem, sed dependenter non est proprium Dei; imo nullimodo compe-

petit Deo, quum sit independens; ergo vis effective quidem, sed dependenter agendi, potest optime convenire creaturis, et de facto competit. Nam competit exsistentia, essentia etc. dependenter a Deo; ergo et vis effective agendi, quæ, posita essentia, statim poni debet in creaturis; aliter enim si essent occasionaliter tantum agentes, non possumus secernere naturam a natura. Possunt igitur creaturæ recipere a Deo vim effective agendi dependenter; ergo possunt effective, et dependenter agere.

Inst. Atqui creaturæ nec etiam dependenter a Deo possunt recipere virtutem effective agendi: ergo etc. Prob. subs. Si creaturæ possent a Deo recipere vim aliquam effective agendi, jam possent aliquam rem accidentalem producere, nempe modificare materiam, cognoscere, seu producere aliquas cognitiones, et volitiones, si loquamur de spiritualibus; de materialibus vero loquendo, si ipsæ possent recipere a Deo vim activam, jam ignis, ex. c., posset stuppam per se comburere, ceram liquefacere, et similia. Jamvero absurdum est creaturam posse aliquam rem licet accidentalem producere. Ergo etc.

Resp. C. maj. dist. min. Ex nihilo sui, et subjecti; conc. ex præsupposita materia seu subjecto, nego min. Ergo. Nego conseq. Igitur absurdum omnino est, creaturam posse producere aliquam rem, quantumvis accidentalem ex nihilo sui, et subjecti. Nam ad producendum aliquid quantumvis accidentale, ex nihilo sui, et subjecti, requiritur vis infinita. Nam debet superare di-

distaniam infinitam, quæ nihilum inter, et aliquid intercedit. Sed creatura nequit habere vim infinitam, quia est finitæ entitatis; ergo creatura nequit producere aliquam rem, quantumvis accidentalem, ex nihilo sui, et subjecti. Quare reipsa absurdum est omnino etc. Non est autem absurdum posse creaturas aliquam rem accidentalem, ex præsupposito subjecto, producere. Quandoquidem ad producendum aliquid ex præsupposito subjecto, requiritur vis finita. Jamvero creaturæ possunt habere, et recipere vim finitam a Deo. Nam sicuti non repugnat, creaturas posse a Deo habere exsistentiam precariam, essentiam finitam, aliasque proprietates essentiales finitas; ita non pugnat pariter, posse habere vim finitam; ergo possunt ex præsupposito subjecto aliquod accidentale producere; ergo non est absurdum, posse creaturas aliquam rem accidentalem, ex præsupposito subjecto, producere.

Inst. Atqui creaturæ nequidem ex præsupposito subjecto possunt aliquid accidentale, producere. Ergo etc. Prob. subs. Si possent, possent alicui rei accidentali exsistentiam tribuere; sed hoc pugnat. Ergo etc. Prob. min. Si non pugnaret, creaturæ potuissent sibimetipsis exsistentiam tribuere, quum omnes exsistentiæ sint inter se æquales; sed sibimetipsis dare non potuerunt. Ergo nec aliis rebus accidentalibus; adeoq....

Resp. N. maj. c. min. n. utramq. conseq. Itaque, ex eo, quod non pugnet, creaturas posse aliquid accidentaliter producere, non sequitur, ipsas potuisse dare sibimetipsis exsistentiam. Nam

crea-

creaturæ non potuerunt dare sibimetipsis exsistentiam: I. Quia nemo potest esse sui ipsius causa. In tali enim casu aliquid operatum fuisset, et non exstitisset, quod pugnat (ax. 2. c. 1. par. 1.). II. Quia, quum creaturæ sint substantiæ, debuissent produci ex nihilo sui, et subjecti, adeoque per vim infinitam; quod creaturis, uti diximus, nequit convenire. Præterea nec ex eo, quod sibi exsistentiam dare non potuerunt, sequitur ipsas aliquid accidentale non posse producere. Nam primum pugnat; non item secundum, quia sufficit vis finita, quam creaturæ possunt peroptime a Deo recipere; imo de facto accepisse, ostendimus. Ergo etc.

Objectio II.

Si creaturæ aliquid efficere possent; possent jam reddere, seu se efficere perfectiores: sed hoc repugnat; g. etc.

Resp. Dist. maj. essentialiter, nego; accidentaliter, subdistinguo, dependenter ab ipso Deo, c., independenter, n. maj. Dist. min. repugnat, creaturas posse seipsas efficere essentialiter perfectiores, c., accidentaliter, et dependenter a Deo, n. min., et conseq. Itaque creaturæ nequeunt *essentialiter* perfectiores se reddere sua propria, quantumvis activa, potentia; nam si id possent, possent seipsas efficere majoris entitatis essentialis; adeoque sibi ipsis majorem, usque in infinitum, vim, essentiam, et entitatem tribuere, quod est absurdum. Item, quoniam adjungere ad pro-

propriam essentiam aliquid essentiale, est illud ex nihilo producere; omne enim, quod essentiale est, potest sine inhæsione ad subjectum exsistere (1); adeoque est substantia; ideo, si creaturæ possent perfici ex seipsis quoad essentiam, possent creare. Jamvero hoc est solius Dei proprietas; ergo non possunt habere creaturæ, ex dictis. Itaque creaturæ nequeunt etc.

Possunt tamen creaturæ *accidentaliter*, et *dependenter a Deo*, seipsas perficere; nam creaturæ possunt simultaneo Dei concursu adjutæ, producere velleitates, inclinationes, et propensiones erga bonum, per ipsos adversarios (§. 2.), et adversationes circa malum. Jamvero hoc est perfectio accidentalis; ergo creaturæ possunt seipsas accidentaliter, et dependenter perficere. Hoc autem est, per ipsosmet adversarios, effective agere posse. Jamvero creaturæ spirituales, et liberæ reapse producunt, per ipsos adversarios, velleitates erga bonum, etc. Ergo reapse efficientes causæ sunt.

Quod

(1) Duplicem heic diſtinguamus eſſentiam, neceſſum eſt, *substantialem* nempe, & *accidentalem*. Prima eſt illa, quæ pertinet ad intimam ſubſtantiam rei, ut eſt, in rebus corporeis, eſsentia primarum ſubſtantiarum ſimplicium. Secunda vero eſt illa, quæ ad accidentalem tantum ſubſtantiam rei pertinet; ut eſſentia hominis, quæ conſiſtit in illa unione mentis, & corporis. Prima nullimode ab homine deſtrui poteſt; poteſt tamen ſecunda. Item prima poteſt per ſe exſtare; non vero ſecunda. Nos igitur in præſentia rerum loquimur de prima, non vero de ſecunda.

Quod ad corporeas spectat, dicimus: est proprietas corporum natura esse impenetrabilia, gravia, divisibilia, extensa etc. Jamvero ex istis proprietatibus, sua propria sponte, sequuntur infiniti propemodum effectus, ut animadvertenti patet. Ergo etiam causæ corporeæ sunt causæ efficientes; adeoque semper firmum restat etc.

Prop. VI. *Creaturæ omnes, corporeæ nempe, et spirituales, non sunt suorum effectuum causæ occasionales dumtaxat.*

D. Creaturæ non sunt causæ occasionales solum suorum effectuum, si vere, et proprie sunt causæ efficientes; atqui creaturæ omnes, corporeæ nempe, et spirituales sunt vere, et proprie suorum effectuum causæ efficientes (p. ant.). Ergo etc.

Prop. VII. *Vis illa efficiens, qua creaturæ tum corporeæ, tum spirituales efficienter agunt, est ipsismet insita.*

D. Si non esset ipsismet insita, eam non haberent; adeoque suos effectus producerent vi aliena. Si ita esset, creaturæ vel essent causæ occasionales tantum suorum effectuum, vel nullimode causæ essent. Dicere secundum, est idem ac dicere, creaturas non exsistere, et quodcumque activum videmus, esse solius Dei. Hoc autem in casu, vel Deus nos continua deceptione teneret, quod est absurdum asserere, vel corpora, et omnia essent de eadem Dei natura, quod putidissimum, atque pugnans esset commentum (vid. p. 5. c. 4. par. 1.) Ergo primum dicatur, necesse est, creaturas nempe esse suorum effe-

ctuum causas occasionales dumtaxat. Jamvero hoc est falsum (p. 6. huj. c.). Ergo creaturæ omnes non producunt proprios effectus vi aliena; sed propria. Ergo ipsam vim in seipsis habent. Quare etc.

SCHOLION.

Quum vis efficiens, quam creaturæ habent, sit ipsis insita (per hanc pr.). Quæritur nunc, an habeant independenter a Deo. Videamus. Igitur sit

---

CAPUT III.

In quo demonstratur I. Creaturas indigere directa, et positiva Dei conservatione, ut perseverent exsistere: II. Adeoque conservationem esse continuam creationem. III. Vim, quam habent creaturæ, habere dependenter a Deo. IV. Deum immediate concurrere ad omnes creaturarum actiones. V. Deum non prædeterminare creaturarum actiones, idest non concurrere ad creaturarum actiones physica Thomistarum præmotione. VI. Sed concursu simultaneo.

DEFINITIONES.

Def. I. Conservatio est id, quo caussa dat effectui *perseverare*.

Sch. Triplex distingui solet conservatio a Meta-

taphysicis, *directa* nempe, *indirecta*, et *negativa*. Directa est continua productio rei per actionem positivam. Indirecta, qua removentur ea, quæ rem, quæ conservatur, destruere possunt. Negativa tandem est mera non destructio rei, quæ tamen destrui posset (1).

Def. II. Concursus est cooperatio unius causæ cum altera, secundum hujus exigentiam, et indigentiam.

Def. III. Concursus Dei cum creatura est cooperatio Dei cum ipsa creatura agente pro exigentia, et

(1) Perlegatur S. Thom. *p.* 1. *quæst.* 104. *art. I.* Præterea advertendum, tot eſſe ſpecies *conservationis*, quot rerum ſunt *entitates* differentes. Cuique enim entitati, reſpective ſuum *nihil* reſpondet, & e converſo ſua *conservatio*, quamdiu in eſſe durat (licet quædam conſervationis ſpecies a Deo non ſint, ut patet de culpa morali). Sicuti ergo habetur *esse naturæ*, *esse vitæ*, *esse fortunæ*, *esse culpæ*, *esse finale* (ut illud præmii, & illud pœnæ æternæ), *esse virtuale*, cetera; ita habetur etiam & *nihilum* iis oppoſitum, & *conservatio* iis congruens, & reſpectiva. Quare diſtinguenda eſt *conservatio naturæ*, a *conservatione vitæ*, & viciſſim. Idem de aliis. A *conservatione* porro diſtinguenda ſunt *media conservationis*. Sic vita animalis, ex. gr., ſervatur mediante aere, cibo, potu, exercitio, quiete, vigilia, ſomno. Hæc ſunt ergo *media* conſervationis *vitæ animalis*, quibus, quaſi inſtrumentis, ad id, utitur Deus. Qui porro hæc media injuſte tollit, injuſte vitam animali tollit. Idem dicendum reſpective de aliis conſervationis ſpeciebus. Ex quibus patet, quam iniqui aggreſſores *vitæ humanæ* ſint fures, avari, uſurarii, ſimiles alii: quam impii, qui media *vitæ virtualis* auferunt, ut virtuoſus a virtute recedat, juſtus a ſtatu gratiæ decidat, Sanctus ad peccata vertatur. Tandem *conservatio* dicitur *activa* reſpectu conſervatoris, *passiva* vero relata ad rem conſervatam.

et indigentia creaturæ, quæ sine tali Dei adjuvamine non posset per se sola agere.

Schol. I. Duplex porro Dei concursus dividi solet, in *mediatum* scilicet, et *immediatum*. Mediatus est actio Dei conservantis potentiam tantum agentis. Dicitur igitur mediatus, quia mediate concurrit ad operationem agentis, nempe mediante creaturæ potentia ab ipso immediate conservata. Immediatus porro est actio Dei producentis ipsum creaturæ actum, cum eadem creatura. Dicitur immediatus, quia immediate cadit in ipsum actum creaturæ. Primus dicitur etiam *mediatus mediatione virtutis* tantum; secundus vero dicitur *immediatus mediatione virtutis, et suppositi*.

Schol. II. Concursus autem Dei immediatus dividi solet a Philosophis Scholæ in *prævium*, et *simultaneum*. Primus habetur, si Dei actio creaturæ actionem antevertat, eamque prædeterminet ad agendum, vel non agendum. Secundus habetur, si Deus neque antevertat, neque subsequatur actionem creaturarum; sed eodem ipsissimo temporis instanti, quo agere incipit creatura ad agendum, incipiat concurrere ipse Deus. Hinc

Coroll. In omni actione creaturarum semper adest aliqua Dei cooperatio vel mediate, vel immediate, juxta hypothesim concursus Dei.

Def. IV. Præmotio physica, motio physica, determinatio physica, seu prædeterminatio physica (idem significant) est ille Dei concursus, quo Deus ipse actionem creaturarum antevertit, seu ad agendum prædeterminat, ita ut, eo posito, creatura infallibiliter operari debeat.

Co-

Coroll. Ergo præmotio physica 1. independens omnino est a creaturis, sed a solo Dei beneplacito pendet. Alias namque non præcederet actionem, seu determinationem ipsius creaturæ, quod esset contra definitionem. 2. Antevertit actionem, et determinationem creaturarum: 3. Ea præmotione jam posita, nequit creatura, sive libera ea sit, sive necessaria, non operari, juxta vim præmotionis Dei.

Def. V. Præmotio, motio, determinatio, prædeterminatio moralis est ille Dei concursus, quo Deus vel alliciendo, vel imperando, vel excitando, vel suadendo, vel portando creaturas, eas ad agendum movet, ita tamen, ut si creatura nolit, non producat effectum.

Schol. Hic porro animadvertendum est, nos nullum facere sermonem de præmotione ista morali, vel de motione illa physica, quam Sancti Spiritus efficacem impulsum vocant Theologi: sed tantum loqui de illa naturali præmotione, quæ actiones naturales tantum creaturarum respicit.

Philosophorum Opiniones.

§. I. Negarunt, in primis, res omnes hujusce universi (de quibus jam nos loquimur) conservari a Deo, omnes illi, qui Deum non esse proprium mundi creatorem dixerunt, sed Angelos. Nam, ex eo, quod Deum mundum non creavisse asserunt, sed Angelos, sequitur sua sponte, Deum non esse conservatorem ejus. Quinam fuerint isti, vide sup. (§. 3. c. 6. part. 1.).

§. II. Isti quoque adseruerunt, creaturas vim, quam habent activam operandi; non habere a Deo dependenter, sed ab Angelis, qui eas produxerunt ex nihilo, Qui porro admiserunt, mundum productum esse ex præsupposita materia æterna a Deo, negarunt quoque vim, quam habent hujusce universi entia, habere dependenter a Deo, quod patet parum attendenti sententiæ istorum.

§. III. Qui item mundum productum esse a Deo contendunt ex præsupposita æterna materia, res omnes corporeas, præsertim quoad substantiam, et essentiam, a seipsis conservari, non vero dependenter a Deo, asseruerunt.

§. IV. Deum mediate solum mediatione virtutis concurrere ad creaturarum actiones adseruit Durandus Dominicanus. Sicque juxta sententiam istius, Deus dedit creaturis virtutem operandi, sed nunc solas per se operari, et esse respectu Dei, sicuti horologium respectu artificis.

§. V. Omnes alii Durando adversantur omnino, et contendunt pro aris, focisque, Deum ad omnes creaturarum actiones concurrere immediate immediatione virtutis, atque suppositi. Quibus nos subscribimus, atque peroptime demonstrabimus, in præsenti capite, nostram sententiam.

§. VI. Verum licet omnes saniores et Philosophi, et Theologi conveniant in adfirmando Dei immediatum concursum; tamen quoad modum, quo Dei concursus actiones creaturarum comitatur, nos, qui a nostro Scoto Scotistæ adpellamur, Tho-

Thomiſtis omnino oppoſiti ſumus. Et id quidem ſumma ratione. Nam volunt iſti, Dei concurſum præcedere creaturarum actiones, phyſiceque eas ad agendum prædeterminare; in qua hypotheſi, libertatem, aliquam ſaltem, pati debere, difficultatem, nemo non videt. Ideoque nos, hac rejecta hypotheſi, demonſtrabimus, Dei concurſum comitari quidem creaturarum actiones, non autem præcedere.

Axiomata.

Axi. I. *Deus, et natura nihil fruſtra moliuntur.*

D. 1. p. Nam ſi Deus ageret quidquam fruſtra, ageret ſine ullo fine; adeoque ſine ſapientia, et providentia; adeoque imperfectiſſimo modo. Jamvero abſurdum eſt dicere, Deum poſſe imperfectiſſimo modo agere; nam ſi ita eſſet, poſſet peccare; ergo ne hoc dicatur, dicendum, Deum nihil fruſtra moliri.

D. 2. p. Nomine naturæ in præſentia rerum intelligimus actionem illam providentiæ, qua Deus omnia gubernat, atque ad ultimum finem conducit. Jamvero ſi actio iſta providentiæ Dei aliquid fruſtra ageret, 1. eſſet ſimul, et non eſſet providentiæ actio. Eſſet ut ſupponitur, non eſſet autem, quia ageret aliquid fruſtra, ideſt aliquid ad aliquem non produceret finem. 2. Providentia eſt actus potentiæ, et ſapientiæ Dei, qua unaquæque res ad ſuum producitur finem. Ergo ſi natura, ideſt actus providentiæ Dei, aliquid fruſtra moliretur, jam Deus ſapientia, ac po-

potentia sua, aliquid frustra moliretur; quod est absurdum (Demonstr. 1. p. huj. axi.). Ergo nec natura aliquid frustra facere potest. Quare.

Axio. II. *Frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora*.

D. Si enim ego solus optime, sufficienterque possum movere lapillum, ex. gr., A, inutiliter, et frustra cooperatur mecum, ad illum movendum, Antonius. Item, si una amphora aquæ sufficiens est ad implendum aliquod poculum vitreum, inutiliter, et frustra adhibetur amphora altera vini ad illud poculum implendum. Idem dic de sexcentis aliis. Tandem pendet hoc axioma ex illo: *Natura non deficit in necessariis, neque redundat in superfluis*.

Axio. III. *Operari sequitur esse*: idest si natura operantis est spiritualis, spirituales sunt operationes ejus, et econtra.

Axio. IV. *Ab actu ad potentiam tenet consequentia*.

D. Nam, si ego lapidem sustuli a terra, habui potentiam extollendi, aliter non potuissem extollere.

Propositiones.

Prop. I. *Deus potest in nihilum reducere ea omnia, quæ ipse ex nihilo fecit*.

D. Eadem distantia intercedit inter nihilum, et aliquid. Ergo eadem potentia, quæ requiritur ad producendum aliquid ex nihilo, requiritur etiam ad reducendum aliquid in nihilum. Ergo qui potest

est producere aliquid ex nihilo; potest itidem, quod producit, adnihilare. Jamvero Deus potuit multa ex nihilo producere. Nam produxit mundum hunc adspectabilem (p. 5. c. 7. par. 1.). Ergo (ax. 4. huj. c.) habuit potentiam producendi aliquid. Præterea si potuit tunc, potest nunc quoque. Siquidem Deus est ens a se (p. 1. c. 5. par. 1.). Ergo est immutabilis (p. 2. c. 1. par. 1.). Ergo si tunc potuit aliquid ex nihilo producere, potest etiam nunc. Jamvero qui potest producere aliquid ex nihilo, potest quod produxit adnihilare; eadem enim potentia requiritur ad utrumque efficiendum. Ergo Deus potest in nihilum reducere ea omnia, quæ ex nihilo fecit.

Prop. II. *Creaturæ indigent directa, et positiva Dei conservatione, ut perseverent exsistere.*

D. Creatura ita eget actione positiva Dei, ut perseveret exsistere, sicuti ut incipiat exsistere. Siquidem creatura, in primo suæ exsistentiæ instanti, ita est determinata ad exsistendum in secundo instanti, sicuti determinata fuit ad exsistendum, quum nihil erat. Nam eadem connexio habet primum instans exsistentiæ ad secundum, ac habet nihilum ad ens. Si enim primum instans exsistentiæ haberet necessariam connexionem cum secundo, jam repugnaret posse Deum adnihilare ea, quæ ipse ex nihilo fecit, quod est falsum (p. ant.). Igitur eadem actione Dei, qua ex nihilo producta fuit creatura, eget nunc, ut conservetur: sed actio, qua producta est, fuit directa, et positiva. Ergo...

Objectiones.

Ob. I. Ut creaturæ conserventur, sufficit conservatio Dei negativa; ergo non egent directa, et positiva. Prob. ant. Creaturæ, semel exsistentes, debent perseverare ad exsistendum, dummodo Deus nolit solum eas adnihilare. Sed hæc est conservatio negativa. Ergo ...

Resp. N. maj. c. min. n. conseq. Igitur creaturæ semel exsistentes, nequaquam sufficit, ut perseverent in exsistentia, quod Deus velit tantum eas non adnihilare. Nam si ita esset, creaturæ possent, immo de facto independenter a Deo exsisterent; adeoque earum exsistentia et precaria esset, et non. Precaria, quia talem habeant a Deo, necesse est; non precaria autem, quia per se positive conservarentur; quod pugnat (ax. 1. c. 1. par. 1.). Ergo ut creaturæ perseverent ad exsistendum, non sufficit conservatio Dei negativa; sed requiritur conservatio positiva. Nam si creatura non habet exsistentiam, nisi quia Deus vult, ut exsistat, habet igitur exsistentiam, quia eam recipit a Deo positive. Igitur creaturæ, ut perseverent ad exsistendum, indigent positiva Dei conservatione; quod si Deus cessabit ipsi positive exsistentiam dare; sequetur apertissime creaturam non amplius habere posse exsistentiam; adeoque creaturæ semel exsistentes, nequaquam sufficit etc.

Inst. Atqui, ut creaturæ perseverent exsistere, sufficit, quod, semel exsistentes, Deus nolit tantum eas adnihilare. Ergo etc. Prob. subs. Opus artificis, ex. gr., horologium, postquam factum est,

est, ut perseveret ad exsistendum, sufficit tantum, ut artifex illud nolit adnihilare: Ergo a pari ...

Resp. C. ant. n. conseq., et parit. Disparitatis ratio hæc est, quod nempe artifex non dat operi suo entitatem, seu essentiam *simpliciter*, sed *modaliter* tantum; nam aliud non facit, ex. gr., in horologium componendo, nisi disponere hoc, aliove modo partes illius materiæ ligneæ, vel ferreæ etc. Ceterum illæ materiæ partes exsistebant, et *simpliciter*, ut ajunt, entitatem, et essentiam habebant, atque conservabantur a Deo, priusquam horologium efficeretur, et ab eodem Deo conservantur, postquam horologium factum est. Et quoniam conservatio modalis horologii, aliorumque artefactorum pendet a legibus ipsius materiæ, quas Deus in eam indidit, atque conservat *positive*; ideo dispositio tantum materiei partium pendet ab artifice, non vero conservatio; nisi negative tantum, et positive a Deo; itaut si Deus auferat, ab aliquo corpore, a ferro, ex. g., vim inertiæ, et impenetrabilitatis, vel aliam, nescio quam vim necessariam, ad horologium conservandum, jam videretur apertissime, quod horologium illud, absque aliqua, vel Dei vel hominis, positiva actione, nullimode conservaretur. Quare paritas adducta, locum, contra nostram thesim, non habet.

Idem respondemus ad illud corporis motum, qui semel in corpus impressus, jam corpus, absque aliquo alio moventis influxu, persistit in suo motu. Item ad illud, quod dicitur de corpore posito in quiete, quod semper quiescit. Is enim mo-

tus, seu quies corporis, vel a causa creata, vel a Deo imprimi supponitur. Si primum, conservatio illius motus, vel quietis pendet non a causa ipsa creata, sed a legibus materiæ, quas Deus statuit, atque conservat, et quidem *positive*. Si secundum, ob adductas rationes, Deus illum motum *positive* conservat.

Objectio II.

Perfectiores sunt creaturæ, si in exsistentia conservantur negative potius, quam positive a Deo. Sed Deus vult perfectiora, utpote ens perfectissimum. Ergo Deus conservat creaturas negative tantum, non vero positive.

Resp. C. maj. dist. min. Respectu finis, quem sibi proponit, conc. vult ea, quæ in se tantum spectata, perfectiora sunt, nego min. et conseq. Essent igitur perfectiores creaturæ, si negative potius, quam positive a Dei conservarentur. Nam, hoc in casu, quasi essent omnino independentes. Verum, id fieri non posse, ex eo constat, quod earum exsistentia pendet a continua actione Dei positiva, itaut, hac cessante, cessent exsistere, necesse sit. Igitur, quacumque potentia, Deus nequit omnino efficere, ut creaturæ solum negative ab ipso conserventur.

Deinde, Deus eligit quidem perfectiora in operando, sed perfectiora tantum respectu finis, quem sibi proponit. Nam si eligeret perfectiora *in se*, non vero respectu finis, hic mundus, in se spectatus, esset omnium possibilium optimus; quod

est

est absurdum (p. 7. c. 10. p. 1.). Ergo, dato etiam, quod posset (quod tamen pugnat) Deus negative tantum creaturas conservare, non sequitur, id debuisse, nisi suo proposito fini corresponderet. Adeoque semper firmum manet, quod .... Hinc sequitur

Prop. III. *Conservatio est continuata creatio*.

D. Eadem virtus requiritur ad aliquid ex nihilo educendum, ac requiritur ad aliquid, jam productum, conservandum. Quod enim primo momento dependenter exsistit, non sequitur posse exsistere in secundo momento, nisi ipsi ab eo, a quo pendet, exsistentia ministretur. Ad ministrandam exsistentiam porro in secundo, et sequentibus momentis, requiritur eadem vis, ac fuit in producendo rem ex nihilo. Ergo eadem potentia requiritur, ut res ex nihilo educatur, ac requiritur, ut res in tali esse conservetur. Jamvero ad producendum aliquid ex nihilo, requiritur potentia creativa. Ergo ad rem, in esse conservandam, requiritur vis creativa, quæ rem in singulis momentis creet. Ergo conservatio non est, nisi continuata creatio.

Scholium.

Animadvertendum heic est, quod, licet dicamus, conservationem esse *continuatam creationem*, non tamen intelligimus per id, actum divinæ omnipotentiæ singulis momentis mutari, quasi dicat Deus continuo: *Volo, ut exsistat res ista*; sed uno, eodemque actu, quo Deus omnia de ni-

nihilo produxit, continuato, continuo creaturæ conservantur.

Prop. IV. *Vim, qua creaturæ agunt, habent dependenter a Deo.*

D. Si non haberent dependenter a Deo, jam non indigerent creaturæ positiva Dei conservatione. Jamvero creaturæ indigent Dei positiva conservatione, ut exsistant (p. 2. huj. cap.). Ergo egent positiva Dei conservatione, ut vim habeant. Quare vim, quam habent creaturæ, habent dependenter a Deo.

II. Præterea, creaturæ productæ sunt a Deo ex nihilo sui, et subjecti; aliter enim creaturæ non essent, quod est contra hypothesim. Ergo, antequam productæ fuerunt, debuerant purum nihil esse. Ergo quidquid nunc habent, a Deo creatum est. Quidquid autem a Deo creatum est, eget ipsius Dei positiva conservatione (p. 2. huj. cap.). Si igitur in creaturis est vis activa, a Deo est, et ipsius Dei conservatione eget. Ergo est dependenter a Deo. Quare...

S c h o l i u m.

Quum igitur creaturæ a Deo sint, et ipsius egeant positiva conservatione, ita ut nihil, quod creatum est, possit, sine Deo, persistere (p. 2. huj. cap.); sequitur apertissime sequens

Coroll. Vis, quam habent creaturæ, conservatur a Deo.

Prop. V. *Deus concurrit ad omnes creaturarum actio-*

actiones immediate immediatione virtutis, *et suppositi*.

D. Si Deus non concurreret immediate ad omnes creaturarum actiones, jam actus creaturarum essent independenter omnino a Deo. Nam vis tantum conservaretur a Deo; in hoc casu, non vero actus. Jamvero, hoc posito, sequeretur, creaturas in aliquo statu, nempe quatenus agunt, dum agunt, esse independentes a Deo, quod est absurdum: Siquidem creaturæ semper egent positiva Dei conservatione (p. 2. huj. cap.). Quare creaturæ, dum agunt, quatenus agunt, egent positiva Dei conservatione. Ergo...

Objectiones.

Ob. I. Si Deus concurreret ad omnes creaturarum actiones immediate, esset auctor peccati. Atqui Deus nequit esse auctor peccati. Ergo... Prob. maj. Inter creaturarum liberarum actiones sunt etiam actiones malæ, scilicet peccata. Ergo...

Resp. Conc. ant. dist. consequens: Si concurreret *moraliter*, conc.; *physice* tantum, nego cons. Igitur inter liberas actiones hominum sunt utique etiam peccata, ut quisque sibi conscius est sui. Deinde, si Deus ad omnes creaturarum actiones moraliter concurreret, utique auctor esset peccati. Nam ille est auctor peccati, qui producit, vel vult malitiam actionis. Atqui Deus, hoc in casu, produceret, seu vellet actionis malitiam. Ergo revera, si Deus *moraliter* ad actiones omnes creatu-

tu-

turarum concurreret, esset auctor peccati.

Non idem tamen dicendum, si Deus *physice* tantum ad creaturarum actiones concurrat. Nam Deus est causa generalis, sine qua creaturæ nec exsistere, nec operari possunt (*). Ergo necesse est, ut Deus physice concurrat, tamquam causa generalis, ut creaturæ et exsistere, et agere possint. Jamvero physicum omne, quod est in actionibus, in se, peccatum non est. Nam extensio brachii, ex. g., in interficiendo aliquem, in se, est pura motio indifferens, ita ut sicuti extenditur contra hominem, posset etiam extendi contra ter-

(*) *Noli putare* (optime Aug. ſer. 125. alias 15. ex Sitmondianis) *quia turbas consilium Dei, si perversus esse volueris. Qui creare te noverat, ordinare te non novit? Quid dictum de Juda ab Apostolo? Abiit in locum suum. Operante utique divina providentia, qui per malam voluntatem malus esse voluit, non autem Deus malum ordinando fecit; sed quia ipse malus peccator esse voluit, fecit, quod voluit, sed passus est, quod noluit. In eo quod fecit, quod voluit, peccatum ejus deprehenditur; in eo, quod passus est, quod noluit, ORDO DEI laudatur*. Idem S. Doctor lib. imperſecto de Gen. ad litt. cap. 5. ait: *Vitiorum nostrorum non est AUCTOR Deus, sed ORDINATOR*. Vide Gregorium Magnum lib. 6. Moral. c. 18. ubi inter alia, ad rem, habet: „ Sapientes Dominus in ipſa eorum „ aſtutia comprehendit, quando ejus conſiliis humana facta „ etiam tunc congrue ſerviunt, cum reſiſtant... Ideo a fra- „ tribus venditus fuerat Joſeph, NE ADORARETUR: ſed „ ideo eſt ADORATUS, quia venditus... Sic divinum con- „ ſilium, dum evitatur, impletur: ſic humana ſapientia, „ dum reluctatur, comprehenditur „. En clare, modo licet admirabili, perſecta exſecutio divini conſilii, intacta omnino remanente hominis libertate.

terram, aerem, brutum etc. Igitur pure physicum, quod est in hominum liberis actionibus, in se est omnino indifferens, quoad moralitatem bonam, vel malam, quæ pendet ab ipsorum hominum intentione. Ergo concurrendo Deus ad omnes creaturarum liberarum actiones physice tantum, non concurrit, nisi ad id, quod est omnino indifferens, quoad moralitatem. Ergo non est, in tali casu, auctor peccati.

Inst. Ex concessis, Deus concurrit ad id, quod est physicum peccati. Ergo etiam ad morale. Sed hoc absurdum. Ergo ne hoc dicatur, dicendum, Deum non concurrere ad omnes creaturarum actiones. Prob. consequentia: physicum peccati est conjunctum cum malitia peccati. Ergo si Deus concurrit ...

Resp. Dist. ant. idest malitia peccati conjuncta est physico peccati a causa secunda deficiente, et defectibili, c.: conjuncta est a Deo, qui est causa principalis, et generalis indefectibilis, n. quare n. consequentiam. Igitur quidquid physicum est in actionibus creaturarum, est omnino indifferens ad bonitatem, et malitiam. Nam deambulatio, brachii motio, volitio, nolitio etc., *in se*, et *physice* spectatæ, nec bonæ sunt, nec malæ moraliter. Igitur, Deus, concurrendo ad istas actiones, ad malum moraliter non concurrit, sed tantum ad physicum. Moraliter enim malum actionis, pendet a libera creaturarum intentione, et prævia cognitione prohibitionis, vel jussionis talis actionis. Ergo licet Deus concurrat ad physicum actionis, non tamen sequitur, ipsum concur-

currere quoque ad id, quod, in actionibus, morale est.

Inst. Atqui si Deus concurrit ad physicum peccati, concurrit etiam ad morale. Ergo ... Prob. sub. Qui physice concurrit ad illum actum, a quo perspicit sequi moraliter malum, iste, concurrendo ad physicum talis actus, concurrit etiam ad morale. Atqui Deus per nos concurrit ad physicum actuum malorum creaturarum, et perspicit, ex eis sequi peccatum. Ergo ...

Resp. Dist. maj. Si is, qui concurrit, est causa particularis, agens contra actionum suarum regulam, c., si est causa universalis, agens secundum regulam suarum actionum, n. maj. c. min. n. consequentiam. Itaque quicunque concurrit ad aliquem actum, ex quo peccatum perspicit sequi debere, ut causa particularis agens contra regulam actionum suarum, certum est, quod concurrit etiam ad morale, si concurrit ad physicum illius actus. Nam causa omnis particularis, ut homo, ex. gr., tenetur, juxta legem actionum suarum, non concurrere, nec etiam physice ad actiones illas alterius, ex quibus perspicit, alterum peccare debere. Ergo, si concurreret ad physicum, concurreret etiam ad morale actionis alterius. Non idem porro dicendum venit, quoties aliquis generaliter, et ex officio concurrit ad actiones alterius, agitque juxta legem actionum suarum. Tunc siquidem non concurret ad morale, concurrendo ad physicum. Si Parochus, ex. gr., ex officio debet prædicare populo: si sciet, quod quoties prædicaverit, toties Antonius, ex. gr.,

gr., blasphemabit, Parochus, non debet, per hoc detrahere se omnino a verbi Dei prædicatione, quia ipse tenetur ex officio, populo prædicare, et peccatum blasphemiæ illi immediate tribuendum est, qui blasphemat. Item administrando Sacerdos Eucharistiam populo, quidam Princeps non publice scelestissimus in publico vult Eucharistiam; licet Sacerdos sciat, talem Principem esse in peccato, adeoque esse indignum, non debet per hoc publice ipsi denegare Eucharistiam, ut non peccet talis Princeps. Adeoque, dando illi Principi Eucharistiam, concurrit tantum ad physicum, at non ad morale actus illius. Eodem modo Deus, qui, quum sit caussa universalis, sine qua nec exsistere, nec agere possint creaturæ, et statuerit *libertatem non auferre a creaturis*, debet concurrere etiam ad *physicum* actionum pravarum creaturarum, aliter nullimode ordo naturæ conservari posset. Ergo concurrendo Deus ad physicum actionum pravarum, agit secundum regulas sapientiæ suæ, et ut causa generalis; adeoque ita concurrendo, non concurrit ad malum morale actionum creaturarum. Igitur nullum sequitur in Deo absurdum, si adseratur, ut revera est, ipsum concurrere ad omnes creaturarum actiones.

Objectio II.

Creaturæ, præsertim mentes humanæ, sunt causæ efficientes. Ergo non egent immediate Dei concursu ad operandum. Adeoque etc.

Resp. C. ant. n. cons. Responsio huic objectio-

ctioni, patet ex demonstratione nostræ prop. V. huj. cap.

Prop. VI. *Prædeterminatio physica, affert creaturis liberis necessitatem agendi antecedentem* (*). Ita apud Jacquier Metaph. p. 2. sect. 2. cap. 2. art. 2.

Dem. Illud affert necessitatem antecedentem agendi causis liberis, quod et omnem voluntatis actum antecedit, et quo admisso, voluntas nequit non agere. Atqui ita est præmotio physica, ex adversariis (2). Ergo ....

Prop. VII. *Prædeterminatio physica, si non adest in hypothesi Prædeterminantium, impossibilitatem agendi antecedentem creaturis liberis affert*. Ita apud Jacquier loc. cit.

Dem.

(*) Abſit, ut, hac noſtra propoſitione, *fatalitatis* reos accuſemus eos, qui præmotionis ſyſtema, inter catholicos, defendunt. Vide adnotationem poſt ſequentem. Memores reverenter ſumus Conſtitutionum, & Decretorum Apoſtolicorum, contra cenſores aliorum opinionum, ab Eccleſia nondum definitarum. Vide Lucium Ferraris *Biblioth. art.* Gratia, *Append. I. Edit. Romana*.

(2) Phyſicæ præmotionis characteres adnumerat perbelle Pater Franciſcus Jacquier in ſua Metaphyſica (*parte* 2. *sect.* 2. *cap.* 2. *art.* 2.), ubi hæc habet: ,, Præmotio phyſica ,, hos habet characteres inſeparabiles. 1. Antecedit omnem ,, actum voluntatis. 2. Datur ex ſolo Dei beneplacito. 3. ,, Eſt omnino neceſsaria ad omnes prorſus actus tam bonos, ,, quam malos. 4. Talem habet connexionem cum actu, ad ,, quem datur, ut prædeterminatio ad actum, & non actum ,, ſint duo impoſſibilia. 5. Connexionis illius infallibilitas ,, non repetitur ab aliquo extrinſeco, ſed ab ipſa prædeterminationis natura, quatenus per ſe actum infert, & de ſe eſt ,, eſsentialiter conjuncta cum actu. De his characteribus conſentiunt phyſicæ prædeterminationis aſsertores ,,.

Dem. Siquidem, illud, si non adest, affert impossibilitatem agendi antecedentem creaturis liberis, quod, et a voluntate libera creaturarum nullimode pendet, et sine quo liberarum creaturarum voluntas nullimode agere potest. Jamvero prædeterminatio physica est hujusmodi (*). Ergo.

Prop. VIII. *Physica prædeterminatio repugnat contra humanam libertatem.*

Dem. Nam illud *repugnat contra* humanam libertatem, quo posito mens humana necessario agere debet, quo ablato, nullimode agere potest. Jamvero ejusmodi est prædeterminatio physica (p. *6.*, et *7.* huj.). Ergo...

Prop. IX. *Prædeterminatio physica aufert vim activam seu efficientem creaturis liberis.* Legatur Jacquier loc. cit.

Dem. Etenim hujusmodi creatura, in prædetermi-

mi-

(*) Vide characterem ſecundum, & tertium prædeterminationis, in antecedenti adnotatione, recenſitum. Animadvertant porro, hoc in capite, benigni lectores, quod, dum *Præmotionem physicam*, *libertati opponi*, adſerimus; *assertive* non ita dicimus, ut, ejus defenſores, vel *temeritatis*, vel *nimiæ inscitiæ*, vel (quod omnino ab animo diſtat) *calvinianæ hæreseos*, alteriuſve notæ, accuſemus. Hoc autem ſolum *opinative* contendimus, dictam *præmotionem*, cum *purioris Metaphysices principiis non aptissime posse reconciliari*. Quod ſacile lector obſervabit, ſi, quæ in hoc capite, & quæ, capite antecedenti, diximus, recomminiſcatur, remetiaturque attentius. Hoc ergo intelligimus quoad præmotionis defenſores *Catholicos.* Aliter porro ſentiendum de *Hæreticis*. Vide Conc. Trid. ſeſs. 6. can. 4. 5. 6.

minantium hypothesi , non potest seipsam determinare , sed prædeterminari debet a Deo (3) . Ergo nullam vim habet efficientem agendi. Igitur.

Prop. X. *Deus non prædeterminat causas creatas, sive necessariæ eæ sint, sive liberæ , ad earum naturales operationes .*

Dem. 1. pars. Omnibus notum est, causas necessarias, seu corpora, esse causas efficientes suorum effectuum (p. 3. c. 2. huj.) . Ergo , positis omnibus , ad agendum , necessariis , possunt , ac debent omnino agere , ac operari ; aliter enim causæ necessariæ non essent . Ergo , si , positis omnibus , ad agendum , necessariis , causæ necessariæ agunt, per communicatam ipsis a Deo activitatem in ipsarum productione ; sequitur , ipsas non indigere physica prædeterminatione ad agendum . Nam , si Deus eas determinaret, vel id esset , quia causæ necessariæ nullam vim, ad agendum, haberent , vel id esset , quia Deus frustra ipsas determinare sic vellet . Non primum . Nam causæ istæ necessariæ (p. cit.) sunt causæ efficientes . Non secundum , quia Deus (ax. 1. huj. cap.) nihil frustra molitur . Ergo Deus non prædeterminat causas necessarias , ad agendum (4) .

Dem.

(3) Vide tertium characterem in adnot. 2. huj. cap.

(4) Hæc ratio multum valet contra Thomiſtas . Nam ideo adſerunt , cauſas liberas indigere phyſica præmotione ad agendum , quia nec ad agendum determinatæ ſunt , ex ſuæ propria natura , nec ad non agendum . Legatur P. Goduinus Ordinis Prædicatorum *par. 4. suæ Philosophiæ disp. 2. quæst. 3. art. 1.* Igitur , quum cauſæ neceſsariæ ſemper terminatæ ſint

Dem. I. 2. pars. Regula cognoscendi verum, est intimus sensus, intimaque conscientia. Sed intimo sensu, intimaque conscientia nos scimus, et experimur, non ab alio, sed a nobis ipsis, ad agendum, prædeterminari. Ergo, vera veritatis regula, scimus, a nobis ipsis, nos prædeterminari. Ergo a nobis ipsis determinamur, et non a Deo. Igitur... (5).

Dem. II. eadem 2. p. Prædeterminatio physica omnino rejicienda est, si repugnat contra humanam libertatem, et vim activam creaturarum. Jamvero res ita se habet (p. 8. et 9. huj. cap.). Ergo omnino rejicienda est. Ergo firmum restat, quod Deus...

ſint ad agendum, dummodo ponantur omnia, ad agendum, neceſsaria; non egent phyſica præmotione Dei. Sequitur ergo prima noſtræ propoſitionis pars, ex iiſdem adverſariis. Præterea adverſarii ita, præmotione, opera divina deprimere videntur, ut eadem machinam perpetuo movendam imitari videantur. At quis horologium, horas, vi elaterii, vel ponderis ſui, indigitans, ei horologio non antepoſuerit, quod, ad id præſtandum, ultra vim elaterii, aut ponderis, continue inſuper digito movendum eſset?

(5) Forſan inſiſtent, contra iſtam rationem, adverſarii, adſerendo, nobis ſolum videri, a nobis ipſis, determinari, revera autem id eſse a Deo. Sed perperam. Nam 1. quis id illis revelavit? 2. Ergo de nihilo certi eſse poſsumus, ſi verus intimus ſenſus eſt fallax. 3. Sequeretur, nos libertate gaudere, conſtare non poſse. Cruda abſurda.

SCHOLIUM.

Deinde quis salvabit sanctitatem, bonitatem, justitiam, et beneficentiam, immo naturam ipsam Dei in hypothesi prædeterminantium (*)? Verum audiamus adversarios ipsos.

OBJECTIONES.

Ob. I. Quidquid Deo, tamquam instrumentum causæ principali, essentialiter subordinatur, subordinatur ipsimet Deo, tamquam causæ physice præmoventi. Sed creaturæ Deo subordinantur, tamquam instrumentum causæ principali, Ergo.:.

Resp. Dist. maj. Quidquid subordinatur Deo tamquam artificiale, et passivum instrumentum, c., quidquid subordinatur Deo tamquam instrumentum naturale, et activum, subordinatur etiam Deo tamquam causæ præmoventi, n. maj. dist. min. Creaturæ subordinantur Deo, tamquam instrumentum naturale, et activum, c. min., tamquam instrumentum artificiale, et passivum, n. min. Ergo:.. n. consequentiam. Igitur quidquid subordinatur Deo, tamquam instrumentum artificia-

(*) Advertant lectores ad ea, quæ paullo ſuperius (ad prop. 6. & 7, huj. cap.) adnotavimus. Ut *Philoſophi* ſimpliciter, diſputamus; adeoque nullius *theologicæ cenſuræ*, prædeterminationis defenſores, in ſenſu Catholico, arguimus. Ultro, prædictis S. Sedis mandatis, obtemperamus, & *opinative simpliciter*, contrarium prædeterminantium catholicorum, ſuſtinemus.

ciale, et passivum, subordinatur etiam ipsimet Deo, tamquam causæ physice præmoventi. Nam quidquid *passive* alteri subordinatur, non potest per se prædeterminari, sed ab eo determinari debet, ad agendum, cui passive subordinatur; aliter enim subordinaretur active, quod est contra hypothesim. Non idem porro dicendum de eo, quod tamquam *naturale*, et *activum* instrumentum Deo subordinatur. In tali siquidem casu, sufficit, ut Deus concursu tantum simultaneo concurrat, ut activum instrumentum, ad agendum per propriam vim possit seipsum determinare ad agendum. Nam si non posset, jam activum non non esset; quod est contra hypothesim. Jamvero creaturæ omnes, Deo, tamquam instrumentum naturale, et activum subjiciuntur. Creaturæ enim sunt vere, et proprie suorum effectuum causæ efficientes (p. 5. cap. 2. huj.). Ergo Deo, tamquam instrumentum activum subjiciuntur. Ergo seipsas ad agendum determinant. Adeoque creaturæ non subjiciuntur Deo, tamquam instrumentum *passivum*, sed tamquam *activum*. Ergo non subjiciuntur Deo tamquam causæ præmoventi.

Inst. Atqui creaturæ subordinantur Deo, tamquam instrumentum artificiale artifici suo. Ergo. Prob. sub. Creaturæ non possunt movere se, nisi prius moveantur a Deo. Ergo... Prob. ant. Tritum est illud: *Quidquid movetur, ab alio movetur.* Atqui creaturæ moventur. Ergo moventur ab alio. Ergo...

Resp. Dist. maj. si non habeat vim, qua seipsum movere possit, c., secus, n. maj. dist. min.

 per

per propriam vim activam, c. ; moventur per vim extraneam, n. min. n. utramque consequentiam. Igitur quidquid movetur, si in se vim propriam non habeat se movendi, certum est, ipsum ab alio moveri. Nam nequit dari effectus, sine causa. Ergo nequit dari motus, sine vi seu causa motrice. Ergo quidquid movetur, si non habeat in se vim seipsum movendi, certum est, ipsum moveri ab alio.

Econtra vero, quidquid vim, qua seipsum movere potest, in se habet, potest sufficienter seipsum movere. Nam illud potest seipsum movere, quod in se vim habet, se movendi. Atqui hujusmodi sunt creaturæ: sunt namque causæ efficientes (p. 5. cap. 2. huj.) ; Ergo creaturæ se ipsas movere possunt, per propriam vim. Ergo frustra moverentur a Deo, si reipsa a Deo moverentur. Jamvero Deus nihil frustra molitur (ax. 1. huj. cap.). Ergo, quia creaturæ vim habent, qua seipsas movere possunt, non moventur a Deo, sed a seipsis (*).

Inst. Atqui creaturæ non moventur a seipsis. Ergo... Prob. sub. Si creaturæ a seipsis moverentur, essent simul in actu, et in potentia, respe-

(*) Nomine *motionis* hic, *præmotionem* plerunque intelligimus. Nec contendimus, creaturas, ſeipſas, ita prædeterminari, ut a Deo independenter id faciant: hunc enim errorem pluribus ſupra (prop. 4., & 5. h. cap.) refutavimus. Et quamvis quæſtio ſit præcipue de præmotione cauſarum liberarum; nos a neceſsariis cauſis aggreſſi ſumus, ut, de liberis, facilius inde concluderemus.

spectu ejusdem, nempe respectu sui. Jamvero hoc pugnat (ax. 1. cap. 1. part. 1.). Ergo pugnat, creaturas seipsas movere. Ergo...

Resp. Dist. maj. essent simul in actu, et in potentia *activa*, c., *passiva*, n. maj. Atqui... dist. min. repugnat, creaturas esse simul in actu, et potentia *passiva*, transeat (6); repugnat simul esse in actu, et potentia *activa*, n. min. n. consequentiam. Itaque, si seipsas, creaturæ moverent, jam essent utique in actu, et potentia activa. Nam essent in actu activo, quia seipsas de facto moverent: essent autem in potentia pariter activa, quia de facto potentia agerent, seipsas movendo. Non essent porro in actu, et potentia passiva, quia, ex hypothesi, seipsas moverent. Ergo si essent in actu, et potentia passiva, essent simul, et non: essent quidem in actu, et potentia passiva, ut supponeretur; non essent, quia, ex vera hypothesi, agerent, seipsas movendo. Jamvero hoc est absurdum. Nam pugnat idem simul esse, et non esse (ax. 1. cap. 1. part. 1.). Ergo absurdum est adserere, quod si creaturæ moverent seipsas, essent in actu, et potentia passiva.

Esse autem in actu, atque potentia *activa* creaturas, omnino non pugnat; nam quamvis sit id

 re-

(6) Dicimus igitur *transeat*; nam ſive id pugnet, ſive ſecus, nihil contra nos. Offenderet enim noſtram theſim, ſi pugnaret, eaſdem creaturas eſse ſimul in actu, & potentia *activa*. Quod ſalſum eſse contendimus.

respectu earumdem creaturarum , non est tamen id respectu ejusdem objecti , aliquid simul , et oppositum ejus. Nam essent , hoc in casu , creaturæ in actu activo , quatenus de facto actu agerent , essent item in potentia activa , quatenus seipsas per propriam vim actu agerent. Ergo sicuti non repugnat , aliquam potentiam agere , ita non repugnat , aliquid esse in actu , et potentia activa. Ergo nullam contra nos vim habet argumentum. Adeoque ...

Objectio II.

Mentes humanæ, utpote causæ liberæ, indifferentes sunt , ex se, ad agendum. Ergo non possunt, per se , ad agendum , vel non agendum , determinare seipsas. Igitur determinari debent a Deo. Ergo ...

Resp. Dist. ant. et habent tamen potentiam seipsas determinandi ad agendum , vel non agendum , c. , non habent talem potentiam , n. ant. quare n. utramque consequentiam. Sunt igitur mentes humanæ indifferentes ad agendum, vel non agendum ; aliter namque liberæ non essent. Sed non ita indifferentes , ut vim non habeant , se ad unum , vel aliud determinandi. Nam si seipsas determinare non possent; I. Determinari jam deberent ab alio , nempe a Deo , ut volunt adversarii. Jamvero prædeterminatio repugnat contra libertatem (p. 8. huj. cap.). Ergo, ne hoc adseratur de liberis creaturis ; dicendum, eas non esse ita indifferentes, ut se ipsas non valeant ad agendum,

dum, vel non agendum, determinare. Ergo seipsas determinant, licet sint indifferentes, propter libertatem. II. Si seipsas determinare non possent, non essent suorum effectuum causæ efficientes; quod falsum est (p. 9. huj. cap.). Ne igitur hæc absurda sequantur, dicendum, creaturas liberas, licet ad agendum, vel non agendum sint indifferentes, tamen posse seipsas ad utrumvis determinare (*).

Inst. Atqui mentes humanæ seipsas ad agendum, vel non agendum determinare non possunt. Ergo.... Prob. sub. Si mentes humanæ, seipsas ad agendum determinarent, agerent. Ergo si agerent sine præmotione physica; opus esset alia determinatione, ut agerent hoc potius, quam alio modo. Et quoniam hæc secunda determinatio est item libera, requireretur alia, ad hoc, determinatio, et ita deinceps in infinitum usque. Jamvero, hoc posito, nunquam mentes agere possent. Ergo, ut agant, opus habent prædeterminatione physica. Ergo... *Resp.*

(*) Quo ſenſu præmotionem dicimus opponi *libertati*, in prædeterminantium ſententia, jam ſupra (adnot. ad prop. 6. 7. & ad Schol. prop. 10.) explicavimus. Eodem ergo ſenſu (ſimpliciter opinantes), abſque *nota* aliqua, præſertim *theologica*; in prædeterminantium aut perſonas, aut ſententiam, dicimus *destrui vim efficientem*, in cit. prop. 9. huj. cap. Aliter enim quaſi *fatalitatis*, & *spinozismi* hic accuſaremus prædeterminationis doctiſſimos Catholicos Auctores, quod a nobis longiſſime diſtat. Ita enim ſententiam noſtram propugnamus, ut eorum, noſtræ contrariam, nulla *censura theologica* præſertim, notemus. De iis ſimpliciter diſputamus: Eccleſiæ vero judicio ſtamus.

Resp. I. Retorquemus argumentum : si mentes humanæ agerent physica præmotione , agerent . Ergo si agerent physica præmotione, egerent alia physica præmotione, ut agerent hoc potius, quam alio modo , et ita deinceps in infinitum . Quod non concedunt adversarii . Ergo , sicuti non requiruntur præmotiones infinitæ ; ita nec propriæ determinationes infinitæ, in anima seipsam determinante . Ergo potest seipsam determinare .

Resp. II. Ad argumentum autem directe , dicimus , mentem , ad seipsam determinandam , non indigere infinitis determinationibus . Nam mens humana determinata est ab bonum generatim necessario adpetendum. Quum autem intellectus non nisi bona particularia ipsi menti repræsentet ; sequitur , mentem posse aliquod istorum bonorum vel eligere , vel repudiare , eo quod unumquodque non est summum bonum. Quum igitur unumquodque istorum bonorum , ab intellectu , menti repræsentatum , non sit summum; sequitur, mentem non necessario ad alterutrum eligendum , determinari , sed pro libito suo . Quare , quum habeat vim activam , potest seipsam determinare vel ad agendum , vel ad non agendum , absque eo , quod infinitis determinationibus egeat. Adeoque . . . .

Prop. XI. *Deus concurrit ad creaturarum actiones concursu simultaneo .*

D. Nam Deus immediate concurrit ad omnes creaturarum actiones (p. 5. cap. huj.) . Non antecedit porro , isto suo concursu , creaturarum actiones . Aliter enim physice eas prædeterminaret ;

ret; quod falsum est (p. ant.); nec item post operationem totalem creaturæ consequitur. Nam hoc in casu creaturæ possent aliquid, independenter omnino a Deo, producere; adeoque in aliqua ipsarum operatione Deus non concurreret immediate, quod est absurdum (p. 5. huj. cap.). Ergo concurrit concursu *simultaneo*.

Scholium I.

Hinc constat, actiones creaturarum, quoad *physicum*, seu, ut ajunt Scholæ, quoad *entitatem*, esse partim Dei, partim creaturarum operantium. Deus igitur, tamquam auctor, et conservator creaturarum, concurrit partialiter *ad physicum* actionum etiam moraliter pravarum, hominum; non autem *ad morale* talium actionum, quum malum morale, actionis, non sit, nisi *pura a lege deficientia*, quæ creaturæ tantum competere potest (non vero Deo), quæ est causa defectibilis (7). Ex hucusque dictis constat.

Scholium II.

Activitas primarum substantiarum, harunce activitatum apta junctura, compositum, et ordo, qui ex istis nascitur, immutabiliterque conservatur,

---

(7) Hinc eſt, quod, de male operante homine, ſic Deus lamentatur, per Iſaiam: *Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* (Iſ. 43.)

tur, sunt æternæ, immensæ, continuæ, immutabilisque actionis Dei effectus (8). Unde, Deum esse optimum universi gubernatorem, atque provisorem, facile, ex omnibus dictis, quisque intelligere posset; sed, ut res clarius junioribus tyronibus proponatur, sit

CA-

(8) Id autem tripliciter intelligi poteſt: I. Deum eſſe unam eandemque ſubſtantiam, atque, præter ipſum, nullam aliam exſtare, nec exſtare poſſe: ſicque effectus omnes, quos in mundo fieri, obſervamus, non eſſe aliud, niſi modificationes ejuſdem Divinæ ſubſtantiæ, quatenus ſeipſam, propria activitate naturali, diverſimode modificat. Hoc modo ſenſerunt Pantheiſtæ omnes. Verum, quum ii mundum eſſe Deum ſupponant, & per conſequens ens a ſe; ex eo ſolum ruit impiiſſima iſtorum ſententia, quod nos evidentiſſime demonſtravimus, mundum hunc adſpectabilem (p. 5. c. 4. part.) non eſse ens a ſe; ſed creatum eſse a Deo (p. 5. c. 7. par. 1.). II. Deum creaſse ſubſtantiam quandam univerſalem activam, quæ principium activum, & immediatum eſset omnium activitatum univerſi, recipiendo ſcilicet, ipſa ſola, vim, a Deo, quam communicet omnibus univerſi entitatibus; ſubordinare tamen voluntati divinæ. Sed falſum id quoque evincitur, ex eo præciſe, quod demonſtratum ſit a nobis, Deum concurrere immediate immediatione virtutis, & ſuppoſiti ad omnes creaturarum actiones (p. 5. c. 3. huj.). Tandem unamquamque ſubſtantiam adornatam fuiſse, a Deo, activitate eſſentiali, & propria, quam Deus, per leges mechanicas, quas modificat, & ordinat, juxta placitum voluntatis ſuæ, & quidem immediate, atque continuo, itant tali activitate, modificationeque, & ordinatione ejuſdem activitatis mundum (uti conſpicimus) efformet, conſervetque. Ita ſenſit Leibnitius, Nevvtonus, aliique. Ita ſentimus, & nos, uti, ex hucuſque dictis, cuique conſtat.

CAPUT IV.

In quo demonstratur 1. Deum rebus omnibus providere, etiam minimis; itaut nulla res sit, cui Deus non provideat: 2. Deum item, hoc sua universali providentia, non tollere hominibus libertatem.

Definitiones.

Def. I. Providentia divina est actus voluntatis Dei, quo Deus O. M., creaturas omnes, conservat, concurrit ad omnes earum actiones, atque eas ad suos proprios fines dirigit.

Scholion.

Providentiæ notio antiquissima est. Nam Thales mentionem, de ea, facit. Verum istiusmodi providentiæ notionem primum videtur habuisse antiquos Ægyptios. Arnobius siquidem observat, eos sic ratiocinatos fuisse: providentia ita essentialis est Principi, ut, sine ea, non solum exstare non possit, sed ne vocari quidem possit Princeps, et quando excellentior grandiorque est Princeps, tanto perfectior sua providentia esse debet. Jamvero Deus est omnium Principum maximus. Ergo Deo maxima competit providentia.

Def. II. Casus simpliciter acceptus, est concursus causarum ad effectum quemdam producendum, quæ singulæ causæ, gratia alterius effectus, agunt.

Scho-

SCHOLION.

Sic, si pono, pro signaculo, in aliquo libello, chartulam optime pictam, non eo fine, ut alius librum volvens animo inveniendi aliquem in eo tractatum, illam chartulam reperiat, sed ut talem paginam mihi designet. Si volvens, illam chartulam, dum chartas libelli volvit, inveniet, casu invenisse, dicetur.

Def. III. Fortuna est caussarum concursus non prævisus ab homine, ad effectum, homini, vel bonum, vel malum, producendum.

SCHOLION.

Hinc dividitur in *prosperam*, quando effectum bonum producit; *adversam*, quando malum, respectu tamen nostri (*).

Def. IV. Fatum est necessitas inevitabilis, pendens ab aliqua causa superiore.

SCHOLION.

Dividitur Fatum 1. in *Astrologicum*, et est neces-

(*) *Respectu nostri*, inquam; quia reſpectu Dei, nihil umquam improviſe accidit. *Fortuna* igitur, reſpectu noſtri tantum, habet locum, non vero reſpectu Dei, cui omnes ſubjiciuntur, & a quo provide, ſapienterque gubernantur (vide infr. prop. 2.). Toto ergo cælo differt *Fortuna*, a nobis admiſſa, ut definivimus, a *Fortuna* impiorum Fataliſtarum. Conf. noſtra Elem. Log. lib. 2. c. 4. adnotatione 4

cessitas effectuum, ab influentia, positioneque astrorum proveniens, quæ leges necessarias imponit elementis, mistis corporibus, voluntatibusque hominum; II. in *Stoicum*, et est (ut illud Chrysippus definit) successio naturalis inevitabilis omnium rerum ab æterno, una aliam involvens: III. in *Physicum*, et est ordo, seu series causarum naturalium suis effectibus adaptatarum. Principium, Fati hujusmodi, agendi, est natura ipsa seu vis, quam Deus creaturis quibusdam naturalibus donavit. Hoc fato ignis calefacit, aqua frigefacit, verbo, hoc Fato omnes (exceptis quæ proveniunt ab humana libertate) universi effectus proveniunt: IV. in *Divinum*, et est idem, ac providentia.

Def. V. Malum, in præsentiarum, dicimus id omne, quod statum nostrum imperfectiorem reddit.

SCHOLION.

Si externum statum imperfectiorem reddit, dicitur malum *externum*: *internum*, si internum statum: *spirituale*, si spiritualem: *corporeum*, si statum corporis.

PHILOSOPHORUM SENTENTIÆ.

§. I. Omnem absolute providentiam rerum factarum negarunt Epicurus, et Democritus (1), cum

(1) Teſtis eſt B. Thom. (1. *p. q.* 22. *art.* 2.), qui ita

cum impiis ſectatoribus suis. Nam omnia, quæ in Mundo videntur phænomena, per illos, non sunt, nisi puræ modificationes atomorum fortuitæ (2).

§. II. Ejusdem sententiæ videtur fuisse Aristoteles, qui, licet non adserat omnia phænomena, seu universum, concursu fortuito atomorum formatum, et casuali earumdem atomorum modificatione dirigi; vult tamen omnia vi naturæ (quæ per ipsum est *vis materiæ primæ*) conservari, fieri, et dirigi.

§. III. Aristotelis vero interpretes, et Avicenna, et Averroes, negarunt Deo providentiam rerum singularium. Idem adseruit Algazer, qui inter Hæreticos adnumeratur a Prateolo (in Hæreticorum Catalogo).

§. IV. Rabbi Moses, cum aliis, voluerunt, Deum providere quidem hominibus, rebusque aliis incorruptibilibus, non vero brutis, aliisque corporeis rebus, quæ omnia, Dei cura digna fore (3), negabant omnino.

§. V.

---

ita ſe habet: *Quidam totaliter providentiam negaverunt, sicut Democritus, & Epicurus, ponentes Mundum factum esse casu.*

(2) Legatur §. 2. *Sent. Philos. cap. 3. par. 1.*

(3) De quibus B. Thomas (1. *p. q.* 22. *art.* 1.) hæc habet: *Quidam posuerunt incorruptibilia tantum providentiæ subjacere, corruptibilia vero non secundum individua, sed secundum species; sic enim incorruptibilia sunt. Ex quorum persona dicitur Job. 22. Nubes latibulum ejus, & circa cardines cæli ambulat, nec nostra considerat.*

De divina Providentia multa habentur apud *l' Esprit de l'En-*

§. V. Tandem Catholici Philosophi omnes tenent, Deum providere omnibus, et singulis rebus, etiam minimis, et quidem immediate. Idem semper tenuerunt sanjores. Cui sententiæ, toto animo, subjicimus nosmetipsos, quodque ita esse patentissimis rationibus demonstrabimus. Sint ergo

PROPOSITIONES.

Prop. I. *Deus providet immediate omnibus rebus, si eas positive, et immediate conservat, immediate concurrat ad earum actiones, easque ad proprios fines dirigat.*

D. Divina providentia est actus Divinæ voluntatis, quo Deus O. M. creaturas conservat, concurrit immediate ad earum actiones, et eas ad proprios fines dirigit (def. 1. huj. c.). Ergo...

Prop. II. *Deus immediate providet rebus omnibus, etiam minimis, itaut nulla omnino res sit, cui non provideat.*

D. 1. Creaturæ, ut perseverent exsistere, indigent positiva, et directa Dei conservatione (p. 2. c. 3. huj. part.). Ergo Deus positive, et directe crea-

l' Encyclopedie t. 4. art. Providence: ubi hæc primum adferuntur: „ Les Payens, tant Poetes, que Philoſophes, ſi „ l' on en excepte les Epicuriens, l' ont reconnue; & elle „ a été admiſe par toutes les Nations, du moins policées, „ & qui vivoient ſous le gouvernement des loix „. Poſtea alia narrantur. Denique Providentiæ exſiſtentia oſtenditur, objectioneſque ſolvuntur.

creaturas conservat; aliter enim non perseverarent in exsistentia. Ergo si exsistunt, directe, et positive eas Deus conservat. Praeterea Deus immediate concurrit ad creaturarum actiones (p. 4. cap. cit.). Tandem easdem creaturas ad proprios fines dirigit. Nam si ita non esset, vel id esset, quia Deus nollet, vel quia non posset. Non primum, quia Deus, quum sit ens a se; (p. 1. c. 5. par. 1.); adeoque perfectissimus (p.12. c. 2. p. 1.), non potest modo imperfectissimo operari. Non secundum. Deus enim potest, sua absoluta potentia, omnia intrinsece possibilia facere (p. 2. c. 10. p. 1.). Atqui creaturas omnes dirigi posse ad proprios fines, omnino intrinsece possibile est, ut, paullo consideranti, constat. Ergo Deus creaturas omnes ad proprios fines dirigit. Constat igitur, Deum positive, et directe conservare creaturas: immediate ad earum actiones concurrere: easque, ad suos proprios fines dirigere. Ergo Deus immediate omnibus rebus providet, etiam minimis; itaut nulla omnino res sit, cui non provideat (p. 1. huj. c.). Q. E. O. Legatur P. Antonius Celestri, prop.11. suae *Christianae Catholicae Religionis*.

Objectiones.

Obj. I. Si daretur Divina providentia, omnes omnino res ordinatae essent ad proprium finem. Jamvero id est absurdum. Ergo.... Prob. min. Si omnes omnino res ad proprium finem ordinatae essent, jam homines libertate destituerentur.

Sed

Sed hoc est absurdum. Ergo.... Prob. maj. Si omnes omnino res ad proprium finem ordinatæ essent a Deo, ageretur necessario. Atqui hoc destruit in hominibus libertatem. Ergo...

Resp. Dist. maj. omnes, n. aliquæ tantum, n. maj. c. min. n. consequentiam. Itaque licet omnes omnino res ad proprium finem sint ordinatæ a Deo; tamen non sequitur omnes res necessario agere debere, sed tantum eas, quæ, Deus statuit, ut necessario agerent. Nam unaquæque res ordinata est ad proprium finem a Deo, id est ad perfectionem hujusce universi (4). Jamvero universi perfectio postulat, ut res agant unaquæque juxta genus, et speciem suam. Nam si ita non agerent; jam res unius speciei ageret eodem modo, ac alia alterius speciei, adeoque omnes uno eodemque modo, nempe necessario agerent, quod perfectionem Universi diminueret: auferretur

 sci-

(4) Duplex eſt finis rerum hujuſce Univerſi. Unus nempe, quo immediate tendunt, & is eſt Univerſi perfectio, alius porro, quo mediate tendunt, & is eſt finis ille, quem Deus propoſuit ſibi in productione Univerſi; qui vel eſt maniſeſtatio gloriæ Divinæ, ut plerique volunt; vel bonitatis, vel communicatio multorum attributorum ſuorum, non vero unius tantum (non intelligo tamen per hanc *communicationem*, Deum aliquod, vel multa attributa éſsentialia creaturis communicaſse, ſed tantum dediſse creaturis aliquid ſuis attributis aliquo modo ſimile, ut *exsistentiam* contingentem, *essentiam* finitam, *intellectum*, *libertatem* &c. quæ perfectiones in ſummo gradu ſunt in ipſo Deo). Primus iſtorum finium eſt in rebus; alius vero ab ipſis eſt ſeparatus, nempe eſt in mente Dei. Vide adnotationem 5. cap. ultimi primæ partn

scilicet entibus liberis libertatis perfectio. Ergo Universi perfectio postulat, ut unaquæque res agat juxta genus, et speciem suam. Sed Deus vult perfectionem Universi. Ergo Deus vult, ut unaquæque res agat juxta genus, et speciem suam. Jamvero res aliæ libertate sunt præditæ, aliæ non. Ergo Deus vult, ut aliæ libere agant, aliæ non. Ergo, quæ sunt liberæ, tendunt ad proprium finem, libere agendo, quæ vero necessariæ, ad finem proprium, necessario tendunt. Quapropter, licet omnes omnino res etc. Verum porro est, quod si res omnes necessario agerent, homines libertate destituerentur. Nam etiam homines sunt res. Ergo etiam homines agerent necessario. Ergo non agerent libere. Ergo libertate destituerentur. Verum, quum demonstratum sit, quod, ex eo, quod omnes res ordinatæ sint ad proprium finem, non sequatur, nisi, quæ sunt libere, agere libere debere, et quæ sunt necessariæ, necessario agere debere; jam apertissime sequitur, quod licet res ordinatæ sint a Deo ad proprium finem, tamen homines libertate non spoliantur.

Inst. Atqui, si res omnes ad proprium finem ordinatæ essent, sequeretur, homines libertate destitui. Ergo ... Prob. sub. Si res omnes ordinatæ essent ad proprium finem, jam homines ita operari deberent, ut actiones omnino corresponderent ad finem, ad quem tendere, statuit Deus. Atqui, hoc posito, sequitur, homines destitui libertate. Ergo... Prob. min. Posito, quod homines non possint facere actiones, quæ ad finem non correspondeant, sequitur, ipsos necessario eas actio-

ctiones tantum, quæ ad finem correſpondent, facere poſſe. Sed hoc poſito, homines neceſſario operari debere, evidentiſſime conſtat, quod idem eſt; ac libertate deſtitui. Ergo:..

Reſp. C. maj. n. min. n. conſequentiam. Igitur, verum omnino eſt, homines non poſſe aliud facere, præter id, quod ad finem, a Deo; ipſis ſtatutum, (qui finis eſt, ut *libere*, non vero *neceſſario* agant), eos condueit; aliter enim divina providentia omnino falleretur, quod abſurdum eſt, adſerere. At, ex hoc, non ſequitur; homines deſtitui libertate. Nam tunc homines libertate non deſtitui, dicendum eſt, quum ipſi libere faciunt omnino, quod volunt facere. Atqui homines, dum ea tantum facere poſſunt, quæ ad finem a Deo ipſis ſtatutum conducere poſſunt, libere faciunt omnino, quod facere volunt. Siquidem, ut homines dirigantur ad finem ipſis a Deo ſtatutum, debent *libere* operari, quia *liberi* ſunt, ut, in antecedenti reſponſione, jam diximus (5).

 Igi-

(5) *In hoc eſt immobilis, & certus* (appoſite ait B. Thom. 1. p. q. 22. art. 4.). *Divinæ providentiæ ordo, quod ea, quæ ab ipſo providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipſe providet, ſive neceſſario, ſive contingenter.* Et (ibidem quæſt. 19. art. 8.): *Cum voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed & quod eodem modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem Deus quædam fieri* NECESSARIO (ut motus creaturarum irrationalium, & inſenſatarum), *quædam* CONTINGENTER (id eſt libere, ut actiones humanas). Et alibi (1. p. q. 19. art: 6. in corp.) hæc habet: *Quod recedere videtur a divina voluntate ſecundum unum*

Igitur ut homines dirigantur ad finem, ipsis a Deo statutum, debent libere (dummodo *humaniter* agant) operari, itaut, præter actiones liberas, quæ ipsos ad finem dirigunt, non possint alias (*humanas*) quæ liberæ non sunt, facere. Ergo revera, licet homines non possint aliud facere, præter id, quod ad finem eos conducit; non sequitur tamen, per hoc, ipsos libertate destitui; immo ex hoc manifestius colligitur, homines libere agere debere, quia providentia Dei postulat, ut quæ res *liberæ* sunt, *libere* agant.

Inst. Atqui, posito, quod homines facere nequeant aliud, præter id, quod ad finem proprium ipsos conducit, sequitur ipsos libertate destitui. Ergo ... Prop. subs. Hoc posito, si homines, pro libertate, voluerint aliquid efficere, ex. gr., volare, ad avium instar, quod non tendit ad proprium finem eorum, non possint omnino. Ergo necessario non debent volare, etiam si voluerint. Jamvero hoc destruit libertatem. Ergo ... Prob. min. Tunc destruitur libertas, quando homines non possunt agere omnia, quæ volunt. Atqui, si homines non possent volare, ex. causa, non possent agere omnia, quæ volunt. Ergo, homines

---

unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium. Sicut peccator, qui quantum est in se recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur. Ex quibus, & ex dictis ſupra (adnot. ad reſp obj. 1. pr. 5. c. 3. par. 2.) patet, Deum obtinere ſuum finem, divina providentia, & hominem non ſpoliari libertate.

nes determinatos esse ad proprium finem, si adseritur, libertate destituuntur.

Resp. N. maj. c. min. nego consequentiam. Falsum itaque est, quod si homines non possent facere omnia, quæ vellent, non essent liberi. Nam si ita esset, jam homines liberi essent Dii, quia omnes desiderarent Deos esse. Igitur, ut habeatur libertas, sufficit, quod homines agant libere, et desiderent, quæcunque volunt, licet non omnia, quæ volunt, effective efficiant; sed ea tantum naturaliter effective efficiant, quæ vires naturales non superant. Quare, licet homines ad proprium finem ordinati a Deo sint, non sequitur, destrui eorum libertatem. Adeoque Deus omnibus rebus, etiam minimis providet, absque eo, quod aliquod sequatur absurdum.

Objectio II.

Deus est Optimus Maximus, atque in se omnimode Beatissimus. Ergo non providet rebus omnibus, præsertim minimis, et vilibus. Prob. conseq. Si Deus omnibus provideret, jam singulis momentis scire deberet, quot culices, ex. gr. nascantur, quot moriantur: item quamdiu viverent, Deus deberet eos conservare, ipsorum motionibus concurrere, eosque ad proprios fines dirigere. Sed hanc curam quis non videt reddere Deum infelicem, atque implicatum? Ne igitur aliquid Beatitudini Dei detrahatur; dicendum, Deum non providere rebus omnibus.

Resp. Dist. maj. et id omne faceret Deus im-

mutabiliter, et summa tranquillitate, c.; successive, et cum labore, anxietate, et afflictione, n. maj. dist. min. Si Deus id faceret successive, et cum labore, c.; si immutabiliter, et summa tranquillitate, n. min. quare n. consequentiam. Igitur Deus providet rebus omnibus, et quidem summa *tranquillitate* seu felicitate (*). Nam 1. Si Deus rebus omnibus non provideret, jam aliquæ res essent, quibus a Deo non provideretur. Ergo aliquæ res non indigerent Dei conservatione, nec Dei concursu immediato ad operandum, nec directæ essent ad aliquem finem, sed casu, et frustra in mundo essent; quæ absurda putidissima esse, ex antecedentibus, peroptime patet. Quapropter, ne hæc absurda admittantur, dicendum Deum rebus omnibus, quantumvis etiam minimis, providere. Præterea, Deus est Ens a se (p. 1. c. 5. part. 1.). Ergo est immutabilis (p. 2. c. 1. tract. 1.), et perfectissimus (p. 12. ejusdem cap.), adeoque beatissimus; aliter enim perfectissimus non esset. Ergo Deus, quicquid operatur, semper immutabiliter, feliciterque agit. Ergo, providendo rebus omnibus, immutabiliter, feliciterque providet. Ergo nulla anxietate, et labore afficitur, dum rebus omnibus, etiam mini-

ni-

(*) „ Quod in navi eſt gubernator, in curru auriga, „ in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator: hoc idem in mundo eſt Deus; niſi, quod, in illis, „ principatus eſt laborioſus, perturbatus & anxius; in Deo „ vero eſt FACILIS, ORDINATUS, & TRANQUILLUS „. *Aristoteles lib. de Mundo ad Alex.*

nimis providet: adeoque ex eo, quod Deus rebus omnibus provideat, non sequitur, ipsum implicari debere, angustiarique. Quapropter semper firmum restat, Deum rebus omnibus providere, etiam minimis.

Scholium

Id porro, quod magis magisque, ingenia fatalistarum torsit, est, quod nullimode capere possint, quomodo fieri id possit, esse nempe *mala* in hoc universo, si Deus optimus Maximus sit ejus provisor, gubernatorque.

Verum id, non nisi ex eo provenit, quod omnia ad ipsos referre volunt. At perfectio universi si spectetur, vel proprius finis, propter quem factus est a Deo, nullimode alia mala in eo esse, reperietur, nisi malum metaphysicum tantum, utpote quod inseparabile omnino a creatura, sicuti est mundus (6).

Prop. III. *Divina providentia non tollit hominibus libertatem.*

D. Divina providentia omnia dirigit ad proprium finem (ex def. 1. huj. cap.). Ergo non tollit hominibus libertatem. Nam ut unaquæque res

(6) Sic, ſola ratione, impiis Fataliſtis, reſponderi poterit. Deinde Sacram Theologiam [illegible] ſponderi debet, omnia mala, præ[illegible]nare a peccato originali [illegible]dmiſerunt.

res dirigatur ad proprium finem, debet agere secundum propriam naturam, nempe si est libera, libere, si vero est naturalis seu libertate destituta, sine libertate operari. Jamvero homines sunt præditi libertate (ut supponimus). Ergo libere agere debent, ut ad proprium finem dirigantur. Ergo providentia libertatem illis non tollit (7).

Scholium generale.

I. Ex omnibus hucusque dictis igitur, constat, mundum hunc adspectabilem creatum fuisse a Deo (p. 5. c. 7. part. 1.). Restat nunc, ut curiositati juniorum faciamus satis, circa hæc alia duo, nempe I. An mundus semper sit exstiturus, sicuti nunc est, scilicet, an Deus semper sit conservaturus illum in exsistentia, sicuti conservat in rerum præsentia: II. Et si destruetur, an iterum efformandus erit. Quibus breviter reponimus, ut sequitur.

II. Ad primum itaque quod attinet, Stoici tenuerunt, mundum hunc adspectabilem non debere in æternum exstare, sed tandem aliquando igne conflagrandum esse. Epicurus autem voluit, quod mundus sicuti fortuito atomorum concursu (ut ipse phanatice tenebat) productus, et conformatus fuit; ita earumdem atomorum disjunctione fortuita, dissolvendus. Verum hujusce Epicuri sen-

ten-

(7) Legatur B. Thomas 1. *p. q.* 22. *art.* 4. ubi in toto articulo hanc pertractat quæstionem.

tentia, quum in hypothesi atomorum æternarum fundata sit, quam contradictoriam esse alibi (p. 4. c. 3. part. 1.) demonstravimus; sequitur, mundum non destruendum esse fatali atomorum disjunctione, sed si destruendus erit, a Deo tantum, qui illum produxit, atque gubernat, destrui debere. Idem dicimus contra Stoicos, si mundum *casu* conflagrandum esse, adserant.

III. Mundum hunc adspectabilem destruendum esse a Deo, sola naturali ratione constare non potest. Nam Deus est potentissimus, semper erit sicuti nunc est. Ergo si nunc conservat mundum, poterit semper usque in æternum conservare. Præterea Deus est liberrimus. Ergo poterit aliquando mundum destruere, si ipsi placuerit. Quum igitur naturali ratione non constet nobis consilium voluntatis Dei, patet apertissime, quod nobis constare non potest, naturali ratione, an mundus destruendus erit a Deo.

IV. Hinc est, quod ad demonstrandum, an mundus tandem aliquando a Deo destrui debeat, recurrendum est ad Divinam revelationem, qua peroptime edocemur, mundum tandem aliquando destruendum esse a Deo; ideoque inter manifestissima Sanctæ Religionis Christianæ Dogmata positum est (1). An porro igne sit comburendus, ut destruatur, an tantum auferendæ sunt leges cosmologicæ, an in aquam dissolvendum, an destruen-

(1) Id defacto apertiſſimum eſt in Sacra Scriptura. Nam *Matt.* 24. 35. & *Marc.* 13. 31. hæc habet Chriſtus: *Cælum*,

struendum quoad substantiam, an tantum quoad præsentem conformationem, consulantur Theologi; et sacer Interpres Cornelius a Lapide tum in cap. 2. Epist. 2. S. Petri; tum in cap. 17. Actor. Apostolorum, atque alibi.

V. Constat igitur, Mundum destruendum esse aliquando (2). Ad secundum quæsitum porro quod spectat, Epicurus voluit, quod Mundus sicuti fortuita atomorum disjunctione destruendus est, ita earumdem atomorum fatali conjunctione reformandus. Verum hoc modo Mundum renovandum esse absurdum putidissimum est, adserere, quum pugnet atomos æternas esse posse (p. 4. c. 3. part. 1.); Igitur post Mundi hujus destructionem (quæ quoad *figu-*

---

lum, & terra transibunt. 2. *Pet.* 3. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Et ibidem ver. 12.: *Exspectantes, & properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent. Novos vero cælos, & novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat.* Et ſimilia habentur in aliis ejuſdem Scripturæ locis.

(2) Infinita propemodum loca ſunt in Sacra Scriptura, quibus patet apertiſſime hoc indubitatum ſanctæ noſtræ Fidei dogma. De tempore porro, quando id eveniet, plerique Theologi volunt id eſſe debere in anno biſmilleſimo ab Incarnatione Chriſti Domini; idque probant præſertim ex eo, quod ſicuti aliæ mundi ætates, una nempe ab Adamo ad Moſen, alia a Moſe ad Chriſtum, per duo millia annorum ſingulæ perdurarunt, ita quoque hæc per annum biſmilleſimum perdurabit. Sed hæc aliæque rationes, non ſunt, niſi *puræ* Theologorum *conjecturæ*; ceterum nil circa id ab Eccleſia definitum huc uſque fuit.

figuram tantum erit, non vero quoad *substantiam*, ut voluit Augustinus, et Gregorius); sicuti novam formam, atque pulchritudinem justorum corpora recipient, ita novam figuram recipient in renovatione cælum, terraque, ut cum Sanctis, quibus servierunt, quasi glorificentur, et eorum mentes, et oculos oblectent. Renovabitur igitur mundus post destructionem (3). Quod erat secundo loco demonstrandum.

---

(3) Legatur Cornelius a Lapide *in cap. 2. Epist. 2. S. Petri*. Per hanc tamen Mundi *renovationem*, non intelligimus id, quod Millenariis placuit; ſed id tantum, quod Theologi Catholici nunc ſentiunt. Nec, de Mundi renovatione, illam, quorundam, ſententiam probamus, qua adſeritur, pueros, ſine Baptiſmo decedentes, *beatitudine naturali* tunc, in Mundo renovato, frui debere.

UNI, TRINOQUE DOMINO, SIT LAUS, HONOR, ET GLORIA.

F I N I S.

IN-

INDEX CAPITUM.

Junioribus Philoſophis præfatiuncula. Pag. 195

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

In qua demonſtratur I. In mundo hoc adſpectabili regnare ordinem, ſeu mundum ordinatum eſſe. II. Exſtare leges, juxta quas talis mundi ordo procedit. III. Hujuſmodi leges adſignantur. IV. Mundi ordinem habere primam rationem ſufficientem ſui in legibus Coſmologicis, ultimam vero in Deo O. Maximo. 202

CAPUT II.

In quo demonſtratur I. Corpora eſſe ſuorum effectuum cauſas efficientes. II. Mentes humanas item eſſe ſuorum effectuum cauſas efficientes. III. Cauſas ſecundas eſſe vere, et proprie ſuorum effe-
ctuum

ctuum causas efficientes: IV. Creaturas non esse solum causas occasionales suorum effectuum. V. Vim agendi esse creaturis insitam. 225

CAPUT III.

In quo demonstratur I. Creaturas indigere directa, et positiva Dei conservatione, ut perseverent exsistere: II. Adeoque conservationem esse continuam creationem. III. Vim, quam habent creaturæ, habere dependenter a Deo. IV. Deum immediate concurrere ad omnes creaturarum actiones. V. Deum non prædeterminare creaturarum actiones, idest non concurrere ad creaturarum actiones physica Thomistarum præmotione. VI. Sed concursu simultaneo. 238

CAPUT IV.

In quo demonstratur 1. Deum rebus omnibus providere, etiam minimis; itaut nulla res sit, cui Deus non provideat: 2. Deum item, hoc sua universali providentia, non tollere hominibus libertatem. 269

FINIS.

A01 1453509

XXIII
x
51

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google